UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispvtatio III. De Relatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95346

Visual Library

debet hîc enumerare Species Quantitatis propriè dictas.

cxx. Nec dicas 2°. corpus non eſſe ſuperficiem contractam per profunditatem, ſed è contrà profunditatem ſuperficie terminatam. Item nec corpus eſſe Lineam contractam per latitudinem & profunditatem, ſed profunditatem Lineâ & ſuperficie terminatam & continuatam, ità ſcilicet ut ſola profunditas ſit in recto de eſſentia corporis, cætera in obliquo importentur, & quaſi præſuppoſitivè; nam intelligi non poteſt, quid profunditas in recto, niſi juxtà noſtram explicationem, dicatur eſſe differentia contractiva ſuperficiei ad corpus; item intelligi non poteſt quid latitudo in recto, niſi dicatur eſſe differentia contractiva lineæ ad ſuperficiem, alioqui ſimiliter diceremus hominem eſſe rationalitatem in recto terminatam animalitate, quaſi verò de eſſentia hominis eſſet ſola rationalitas, quod nullus dicet.

RESOLUTIO II.

cxxi. DIco 2°. Numerus, Oratio, Tempus, Motus, Locus & Pondus ſunt veræ ſpecies Quantitatis Prædicamentalis. Ita Eximius P. Noſter Bacho in 2. diſt. 2ª. q. 1. art. 2°.

cxxii. Probatur, quia univocè conveniunt in ratione multi formaliter multitudine partium, quæ licèt ſæpè per reſpectum ad invicem faciant aggregatum per accidens, ut trinitas perſonarum vel potiùs perſonæ tres; quatenus tamen multitudini ſive numerabilitati ſubſunt, faciunt cum illa concretum accidentale per ſe, haud ſecus quàm duo parietes eâdem albedine informati cum albedine faciunt concretum album per ſe, licet per reſpectum ad invicem, ſint ens per accidens, ergò, &c.

cxxiii. Dices fortè, hinc ſequi exercitum, populum, cumulum lapidum, &c. per reſpectum ad formam concreti *multi homines, multi lapides*, &c. eſſe ens per ſe; ſed hoc omnes negant, ergò, &c.

cxxiv. Confirmatur: multitudo, quæ eſt eorum forma ſaltè generica, eſt ens per accidens, ergò, &c.

cxxv. Reſpondeo, conceſsâ majore diſtinguendo minorem: ſed omnes negant exercitum, populum, &c. per ordinem ad formam concreti *multi homines, multi lapides*, &c. eſſe ens per ſe de Prædicamento Quantitatis, nego minorem; de Prædicamento Subſtantiæ, concedo minorem: verùm quæ in illo ſunt Subſtantia & multæ Subſtantiæ completæ, quæ faciunt ens Subſtantiale per accidens; in alio quatenus ſubſunt multitudini, v. g. ſunt ens per ſe accidentale de Prædicamento Quantitatis; quatenus ſubſunt ſimilitudini, de Prædicamento Relationis, &c. Ad Confirmationem autem

cxxvi. Reſpondeo negando aſſumptum; eodem enim modo multitudo ſe habet ad multa, duas trinitates v. g. quomodò ſe habet homo ad animam, corpus & unionem: imò ſicut homo eſt tantùm unus, quia tria illa, & non unum eorum tantùm, hominem unum faciunt, quatenus ſubſunt humanitati; ità duæ unitates ſunt una multitudo, quatenus ſubſunt multitudini; & non una tantùm: quia duæ unitates multitudinem faciunt, & non una earum tantùm.

# DISPVTATIO TERTIA

## *De Relatione.*

### DVBIVM I.

*Quid & Quotuplex ſit Relatio.*

RESOLUTIO I.

cxxvii. DIco 1°. Relatio generaliter definitur *ordo* ſeu *reſpectus unius ad aliud*; qui quoniam eſt multiplex, ſit

RESOLUTIO II.

cxxviii. DIco 2°. Relatio generaliter ſumpta dividitur 1°. in Realem & Rationis. Realis eſt, *Quæ eſt antè operationem intellectus.* Rationis *quæ poſt operationem intellectus*, de quibus infrà. Adverte tamen ly *Reale* ibi ità accipi, ut opponatur *intentionali*, non verò *ficto*; alioqui utraque eſſet Realis.

cxxix. Dividitur 2°. in Relationem ſecundum eſſe, & ſecundum dici: Secundum dici *eſt entitas quædam abſoluta, quæ* (ajunt) *quidem in ſuo conceptu formali non dicit reſpectum, à nobis tamen ob noſtrum imperfectum concipiendi modum, ſinè reſpectu concipi aut explicari non poteſt.* Verùm malim illam confundere cum tranſcendentali (de qua ſtatim) quæ ideò à nobis concipi aut explicari non poteſt ſinè reſpectu, quia reſpectus eſt illi eſſentialis.

cxxx. Secundum eſſe *eſt, quæ propriè & ſecundum ſe eſt relatio*; nec malè hanc confundes cum Prædicamentali. Vndè meliùs

cxxxi. Divides 2°. Relationem in Tranſcendentalem & Prædicamentalem: Tranſcendentalis *eſt reſpectus eſſentialis ſuo ſubjecto proximo*, ut ſcientia, omnipotentia, &c. Prædicamentalis *eſt reſpectus accidentalis & contingens ſuo ſubjecto proximo*, ut paternitas, ſimilitudo, &c. ſic enim clarè diſtinguuntur inter ſe, quidquid aliter alii illas definiant.

cxxxii. Dividitur 3°. Relatio in mutuam & non mutuam. Mutua *eſt cui in termino reſpondet alia Relatio*, ut paternitas, cui in filio reſpondet filiatio. Non mutua *cui in termino non reſpondet alia Relatio*, ut paternitas, reſpectu Pauli, herilitas reſpectu Petri.

### DVBIVM II.

*An Reſpectus, qui Relationi Tranſcendentali eſt eſſentialis, ſit Relationi iſti quoad ſe, an quoad nos tantùm eſſentialis?*

cxxxiii. ANtè Reſolutionem hujus dubii (quod ab aliis non video propoſitum) & mihi maximi momenti eſt, tam pro Theologicis, quàm Philoſophicis.

cxxxiv. Suppono 1°. varia dari entia tranſcenden-

denta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dentaliter relativa, ſive quorum reſpectus ſunt ſuo ſubjecto proximo eſſentiales, ut *Vnio*, *Viſio*, *Potentia*, &c.

cxxxv. Suppono 2°. reſpectum Relationis tranſcendentalis per ſe, & præſcindendo ab eo, quòd aliundè ſubjectum illius proximum ſit modus intrinſecus, non eſſe eſſentialiter & inſeparabiliter abſolutè ad terminum exiſtentem: nam materia 1ª. dicit reſpectum tranſcendentalem ſubjecti ad formas, præſcindendo ab eo quòd exiſtentes ſint, poſſibiles aut corruptæ, ut probabimus in Phyſica: cognitio terminata ad Petrum exiſtentem eadem eſt, ſive Petrus exiſtat, ſive exiſtere deſiverit: quod autem viſio materialis Petri exiſtentis Petro deſinente deſinat, nihil refert; quia id non oritur ex reſpectu eſſentiali viſionis quoad ſe, ſed ex dependentia viſionis illius à ſpecie viſuali, quæ à Petro Phyſicè emittitur; alioqui etiam de potentia abſoluta conſervari non poſſet illa viſio deſinente Petro, quod omninò incredibile videtur; quandoquidem non magis pendere videatur viſio illa ab objecto exiſtente, quàm forma materialis Subſtantialis à ſubjecto exiſtente, quam tamen poſſe de potentia Dei abſoluta ſinè ſubjecto exiſtente conſervari, omnes fatentur.

cxxxvi. Suppono 3°. ens poſſibile prout condiſtinguitur contrà exiſtens, dicere negationem entis exiſtentis; ac proindè non magis actu eſſe aliquid, quàm ſi eſſet ens impoſſibile: ex quo ſequi videtur materiam, ſi omnis forma ex parte ſua foret impoſſibilis, non magis intrinſecè mutandam, quàm intrinſecè mutetur per hoc, quòd forma fiat de exiſtente non exiſtens, quia, ut dictum eſt, non exiſtens & impoſſibile, ſecundum quod ſunt *non eſſe actu præcisè*, confundi poſſunt. His ſuppoſitis, ſit

## Resolutio.

cxxxvii. Dico: Reſpectus, qui Relationi tranſcendentali eſt eſſentialis, non eſt, Relationi iſti eſſentialis quoad ſe & intrinſecus; ſed quoad nos tantùm & extrinſecus.

cxxxviii. Probatur 1ª. pars. Illimitatio ſeu independentia Divinæ Eſſentiæ, & attributorum Divinorum illi identificatorum, omninò exigit ut eadem ſit eſſentia Divina, ſive poſſibiles ſint creaturæ ſive impoſſibiles; ſed, ſi omnipotentia, miſericordia, viſio increata, &c. dicerent reſpectum ad terminos eſſentialem quoad ſe, id eſſet falſum, ergò, &c. Conſequentia eſt legitima; minorem omnes fatentur: probatur major, quia illimitatio iſta, &c. omninò exigit ut eadem ſit eſſentia Divina, ſive poſſibiles ſint creaturæ, ſive exiſtentes, ergò &, ſive poſſibiles ſint creaturæ, ſive impoſſibiles. Conſequentia ſequitur ex dictis ſuppoſito 3°. & alioqui Dei poſſibilitas & exiſtentia penderet à poſſibilitate vel unius formicæ, ſic nempè, ut hàc impoſſibili factâ, Deus impoſſibilis fieret, quod Deo indignum, & blaſphemum videtur, ergò, &c.

cxxxix. Subſumo, atqui idem omninò dicendum videtur de reſpectu tranſcendentali omnium entium creatorũ; quis enim dicet quòd viſio Petri exiſtentis poſſit à Deo conſervari deſtructo Petro, ut poſſe patet ex ſuppoſito 2°. & non inferet: igitur & Petro impoſſibili facto; quamvis à nobis concipi non poſſit quomodò perſeveret, & quid tunc ex parte objecti concipiatur? hinc enim ſolum inferri poteſt, reſpectum illum eſſe eſſentialem quoad nos, conſequenter ad Reſolutionem noſtram, ergò, &c.

cxl. Objicies, ſicut inintelligibile eſt, meam viſionem Petri eſſe vel manere, ſuppoſito vel facto Petro impoſſibili; ità inintelligibile eſt, Dei ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe vel manere, ſuppoſito vel facto Petro impoſſibili.

cxli. Reſpondeo, diſſimulato antecedente, negando ſequelam, eſt enim diſparitas; quia videlicet ſcientia mea non ſit Petri viſio per hoc præciſè, quia Petrus exiſtit; ſicut Dei ſcientia fit ſimplicis intelligentiæ rerum poſſibilium, ut condiſtinguitur contra ſcientiam viſionis, *Quia præcisè ſunt poßibiles poßibilitate intrinſecâ*. De quo ex profeſſo in 1ª P. D. Thomæ, fuſiùs agimus.

cxlii. Dixi, diſſimulato antecedente, quia illud mihi videtur omninò negandum; ſi enim poſſit viſio Petri eſſe vel manere ſuppoſito vel facto Petro non exiſtente, uti probabimus in Tract. de Anima Diſp. 5ª. Quæſtiunculâ circà materiam ſpecierum viſibilium; quidni ſuppoſito vel facto Petro impoſſibili? quia res non exiſtens non plus habet eſſe, quàm impoſſibilis; ac proindè non plus poteſt contribuere ad eſſe reale alterius, quàm impoſſibilis: quo dato, ſicut illa viſio antè erat Petri ut exiſtentis, etiam poſtea erit Petri ut exiſtentis; quia Petrum exiſtentem repræſentare eſt de illius eſſentia, quæ immutabilis eſt. Sed hinc non ſequitur, Petro de poſſibili, facto impoſſibili, illam fore impoſſibilem, licèt ſequatur fore falſam, in quo nullum majus abſurdum, quàm ſit in eo, quòd propoſitio contingens de vera fiat falſa, ut infrà oſtendemus. An autem hoc caſu ſit manſura intuitiva, ſpectat ad diſputationem de Nomine; Reſponderi poteſt, manſuram intuitivam ex parte ſua, dicendo ſpeciem intuitivam ex parte ſua, nihil aliud eſſe, quàm viſionem objecti ſecundum propriam ſpeciem: non verò manſuram intuitivam ex parte objecti, dicendo ſpeciem intuitivam ex parte objecti eſſe viſionem objecti in ſe exiſtentis per propriam ſpeciem.

cxliii. Inſtabis ex Franciſco Delugo 1ª. part. Diſp. 13ª. cap. 2°. æquè abſurdum eſt aſſerere potentiam Dei ad omnia poſſibilia manere, illis factis impoſſibilibus; ac aſſerere in Deo eſſe potentiam ad omnia impoſſibilia & chymæras; ergò, vel negandum, potentiam dicere intrinſecam & ſpecialem perfectionem in Deo; vel affirmandum, ex impoſſibili ablatione termini, ſequi defectum in Deo perfectionis intrinſecæ.

cxliv. Reſpondeo, negando aſſumptum, quia ſupponitur falſum, videlicet, potentiam Dei dicere reſpectum tranſcendentalem & eſſentialem quoad ſe & intrinſecum ad creaturas, & non tantùm quoad nos & extrinſecum, uti ſuppoſito 3°. oſtendimus. Vndè, aſſerere potentiam Dei, quatenus dicit reſpectum tranſcendentalem & eſſentialem quoad nos & extrinſecum ad omnia poſſibilia, manere illis factis impoſſibilibus, eſt quidem æquè abſurdũ ac aſſerere in Deo eſſe quoad nos & extrinſecè potentiam ad impoſſibilia & chymæras; quia ibi eſt aperta contradictio in terminis: ſed neque eſt ulla contradictio, neque ullum abſurdum in eo, quòd aſſeratur, potentiam Dei, factis illis impoſſibilibus, perire quatenus dicit reſpectum tranſcendentalem & eſſentialem quoad nos & extrinſecum tantùm; ſed manere quoad ſe, & ſecundum intrinſeca, ſive ſecundum quod quoad ſe eſt ens abſolutum, ut conſideranti patebit; hoc autem ſolum dicimus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DUBIUM III.

*Quot & quæ ad Relationem Prædicamentalem concurrant.*

### RESOLUTIO.

CXLV. DIco: ad Relationem Prædicamentalem varia concurrunt, fundamentum ſcilicet, ſive ſubjectum, ratio fundandi & terminus.

CXLVI. Fundamentum ſive ſubjectum Relationis *eſt id quod denominatur à Relatione.* Sive ab ea intrinſecè, ſive extrinſecè tantùm denominetur, de quo infrà.

CXLVII. Ratio fundandi (quam nonnulli vocant fundamentum proximum) eſt duplex: una fundamentalis, & *ut quod*, & eſt ratio proxima fundandi formalem: alia formalis, & *ut quo*, & eſt id quo poſito, ſtatim exurgit Relatio, ſive id quod ultimò requiritur, ut à Relatione denominatio ſuſcipiatur. Sic generatio eſt ratio fundamentalis & *ut quod* fundandi Relationem *paternitatis*; conceptus verò entitatis patris præcisè ut principii *quod* filii, & entitatis generationis præcisè ut principii *quo* ejuſdem, eſt formalis: ſic enim dicimus Petrum & Paulum eſſe rationẽ fundandi fundamentalem & *ut quod* univerſalitatis; conceptum verò univerſalificantem eſſe rationem fundandi formalem & *ut quo*; quia eo præcisè appoſito ſtatim in Petro & Paulo per denominationem extrinſecam exurgit univerſalitas. Pro majori tamẽ intelligentia

CXLVIII. Adde ex Ariſtotele 5°. Metaph. cap. 15. rationem fundandi eſſe triplicem. 1ª eſt unitas & multitudo, ſive convenientia & diſconvenientia. Quæ (ut communiter dicitur) ſi ſit immediatè in Subſtantia, fundat Relationem identitatis & diverſitatis. Si in Quantitate, æqualitatis, & inæqualitatis. Si in qualitate, ſimilitudinis & diſſimilitudinis: hæcque ratio fundandi eſt formalis, ut infrà patebit. 2ª eſt potentia activa & paſſiva formaliter ut talis, id eſt, ſumpta pro actione & paſſione, in quibus fundamentaliter fundantur *paternitas* & *filiatio*; vel quaſi actione & quaſi paſſione, in quibus fundamentaliter fundantur *herilitas* & *ſervilitas*. Hæc autem ratio fundandi, eſt fundamentalis tantùm, ut inſinuatum eſt, & infrà monſtrabitur. 3ª eſt menſura & menſurabile, id eſt objectum & potentia, juxtà quoſdam Interpretes; nam objectum eſt menſura potentiæ; potentia verò per objectum menſurabilis. Hinc omne intelligibile dicitur menſura intellectus.

CXLIX. Terminus Relationis eſt alterum extremum, ſive id, ad quod fundamentum refertur; ſic filius dicitur terminus paternitatis, quia pater ad filium per paternitatem refertur.

## DUBIUM IV.

*Quomodò formalis ratio fundandi debeat diſtingui à fundamento & termino.*

CL. ANtè Reſolutionem, quæ ab aliis non videtur ex profeſſo agitari,

Suppono 1°. dubium procedere de 1ª & 3ª formali ratione fundandi, (de quibus num. 148.) unitate ſcilicet & multitudine: menſurâ & menſurabili, de quibus Dubio præcedenti. Quia certum eſt 2am, (quam volunt eſſe formalem) actionem ſcilicet & paſſionem ab illis diſtingui realiter.

CLI. Suppono 2°, identitatem indifferenter reperiri inter Subſtantias, Quantitates & Qualitates, imò inter quælibet entia ſub ea ratione qua inter ſe non diſtinguuntur; quia ubi non eſt diſtinctio, neceſſariò eſt identitas; nam, ex præmiſſis Tract. 1. Diſp. 2. Dub. 1°. diſtinctio & identitas contradictoriè opponuntur. Quia verò identitas Quantitatum eſt ſumma æqualitas, & identitas Qualitatum ſumma ſimilitudo; non malè, æqualitas Quantitatum dicetur identitas Quantitatum, & ſimilitudo Qualitatum identitas Qualitatum. Et conſequenter ſi æqualitas & ſimilitudo confundi poſſint cum identitate, rectè ulteriùs dicetur, inter ſubſtantias eſſe identitatem, æqualitatem & ſimilitudinem ſubſtantiarum; inter Quantitates eſſe identitatem, æqualitatem & ſimilitudinem Quantitatum, & ſic de Qualitatibus. Loquere proportionaliter de diverſitate, inæqualitate & diſſimilitudine.

CLII. Nec dicas cum P. Oviedo Metaph. Controv. 6ª. punct. 3°. ſi ab altera extenſionum ulnarum demas palmum, manere inter illas identitatem, non verò æqualitatem. Nam eo ſenſu quo manet identitas, ſcilicet ſecundum rationem formalem extenſionis, manet æqualitas; & eo ſenſu, quo non eſt æqualitas, ſcilicet ſecundum commenſurationem & extenſionem ſitualem, non eſt identitas, ut clarè patet. His ſuppoſitis, ſit

### RESOLUTIO I.

CLIII. DIco 1°, contrà P. Oviedum loco citato: rationes formales & *ut quo* fundandi Relationes æqualitatis & ſimilitudinis, non ſunt Quantitates & Qualitates à propriis ſubjectis (vel ut alii) à fundamentis remotis æqualitatis & ſimilitudinis realiter diſtinctæ ut v. g. ratio formalis & *ut quo* fundandi ſimilitudinem inter Petrum & Paulum, non eſt hæc & illa albedo.

CLIV. Probatur, quia formalis ratio fundandi (ipſo fatente) eſt illud, quo poſito, ſtatim exurgit Relatio, ſive quod ultimò requiritur ex parte fundamenti ut à Relatione denominetur; ſed præcisè poſitâ hâc & illâ Quantitate in hoc & illo ſubjecto, hâc & illâ albedine, in hoc & illo pariete, non habetur quod ultimò requiritur, ut hoc ſubjectum ſit æquale, ut hic paries ſit ſimilis, ergò, &c.

CLV. Probatur minor 1°. quia æqualitas fundatur in unitate Quantitatum, ſimilitudo in unitate qualitatum; ſed præcisè poſitâ hâc & hâc Quantitate, &c. hâc & illâ albedine, &c. non habetur identitas Quantitatum aut albedinum, ergò, &c. Probatur minor; quia, uti Tract. 2° de Diſtinct. fusè probatum eſt, inter hanc & hanc Quantitatem, hanc & hanc albedinem, eſt ſumma diſtinctio; ac proindè ſumma non identitas antè intellectum, ergò, &c.

CLVI. Confirmatur minor, quia ſi præcisè poſitâ, &c. haberetur identitas, illa vel eſſet numerica, vel ſpecifica? Non numerica, ut ad ſenſum patet; neque ſpecifica, quia illa non habetur antè 1am intentionem formalem ſpecificantem, ergò nulla tunc habetur.

CLVII. Probatur minor 2°. Id quod ultimò requiritur, ut hoc ſubjectum ſit æquale, ſive ut ſit æqualitas in hoc ſubjecto, eſt unitas Quantitatum. Item id quod ultimò requiritur, ut hic paries ſit ſimilis, ſive ut ſit ſimilitudo in hoc pariete, eſt unitas Qualitatum; ſed illa non habetur præcisè poſi-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ta, &c. ergò, &c. Probatur minor, quia unitas illa, non habetur niſi per conceptum; ſed non habetur conceptus, præciſè poſitâ, &c. ergò, &c. Hinc ulterius, ſit

RESOLUTIO II.

CLVIII. Dico 2°. ratio formalis & *ut quo* fundandi identitatem Subſtantiarum, æqualitatem Quantitatum, & ſimilitudinem Qualitatum, realiter diſtinguitur à fundamento reali Relationis.

CLIX. Probatur, quia illa formalis ratio fundandi aliud eſſe non poteſt, quàm conceptus confuſus ûnificans multas Subſtantias, Quantitates & Qualitates; nam ſicut juxtà Ariſtotelem, *Illa ſunt ſimilia quorum qualitas eſt una:* ita illa ſunt eadem, quorum Subſtantia eſt una: æqualia quorum Quantitas (in genere, ſi de Quantitate in genere; vel commenſurata, ſi de Quantitate commenſurationis) eſt una; ſed ille conceptus diſtinguitur realiter à fundamento reali Relationis, ut patet, ergò, &c.

CLX. Objicies cum P. Oviedo & aliis, ratio fundandi Relationem identitatis inter Subſtantias, æqualitatis inter Quantitates, ſimilitudinis inter Qualitates, non eſt unitas formalis earum, quæ ſola pendet ab intellectu; ſed fundamentalis & ſpecifica, quæ eſt antè omnem intellectum, non ſecus ac ipſæ Subſtantiæ, Quantitates, &c. quæ dicuntur eædem, æquales, &c. ergò, &c.

CLXI. Confirmabis, ſicut nullo intellectu cogitante Petrus, qui Paulum genuit eſt pater Pauli à ſe geniti, & hoc, quod eſt eſſe patrem, eſt quid independens ab intellectu, & conſequenter etiam paternitas; ità nullo intellectu cogitante, una Subſtantia eſt eadem cum alia; & hoc, quod eſt eſſe idem, eſt quid independens ab intellectu, & conſequenter etiam identitas.

CLXII. Reſpondeo, negando antecedens, quia Relationes illæ ſecundùm *unitatem* multorum, ſi hæc ſit formalis, illæ formales; ſi fundamentalis tantùm, illæ fundamentales tantùm, ut à ſimili patet ex Relationibus *communis*, *ſuperioris*, *identificabilis* multis, &c. quæ ſunt formales, ſi *unitas* naturæ univerſalis formalis ſit; fundamentales tantùm, ſi hæc fundamentalis tantùm. Adde, *unitatem* fundamentalem nihil aliud eſſe antè intellectum, quàm hoc & hoc ſummè intrinſecè diſtincta, conceptibilia uno conceptu confuſo; tam verò repugnat, hanc *unitatem* eſſe formalem antè intellectum, quàm repugnet ſummè intrinſecè diſtincta, eſſe unum formaliter antè intellectum, vel etiam, quàm dari univerſale formaliter à parte rei, quòd daretur, ut patet: quia multa à parte rei, eſſent unum formaliter à parte rei ſive antè intellectum.

Ad Confirmationem

CLXIII. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, nullo intellectu cogitante, Petrus qui Paulum genuit, eſt pater formaliter, &c. prout ly *pater* formaliter exprimitur nomine Paternitatis diſtinctæ Prædicamentaliter à Subſtantia, actione, &c. nego antecedens; nam ut ſic fundatur formaliter in conceptu, quo entitatem patris ut principium *quod*, & entitatem actionis ut principium *quo* filii præciſè concipio; alioqui, ſi fundaretur formaliter in generatione, deberet reſultare antè intellectum modo quodam inintelligibili, ut infrà contrà Thomiſtas videbimus. Deindè importat diſtinctionem rationis à generatione, ut infrà patebit, quæ ſicut eſſe non poteſt, nullo intellectu cogitante, ità nec illa. Eſt pater fundamentaliter & materialiter, prout ly *pater* ſignificat entitatem realem patris eſſe generantem, & ſubjectum denominationis Relationis Paternitatis, concedo aſſumptum; ſed ut ſic non pertinet ad Prædicamentum Relationis, de qua hîc agimus, ſed ad Prædicamenta Subſtantiæ & actionis, ut patet.

CLXIV. Inſtabis 1°. in Divinis Paternitas ſub illo nomine, eſt antè intellectum, ergò & in creatis. Ita ferè P. Noſter Bacho in 1um diſt. 28. q. 1. art. 2°.

CLXV. Reſpondeo 1°. negando conſequentiam, quia ut Tract. 1°. Diſp. 2a, Dub. 5°. clarè oſtendi, à Divinis ad creata, abſurda eſt, & plerumque hæretica conſequentia.

CLXVI. Adde, hinc ſequi, Paternitatem in creatis terminari ad reſpectivum, ſicut in Divinis, quod eſſe abſurdum, infrà oſtendemus; alia eſt enim ratio Paternitatis increatæ, alia creatæ, quòd ſcilicet increata terminari non poſſit ad abſolutum; quia cùm Relationes omnes Divinæ ſecundùm abſolutum, id eſt, naturam Divinam, ſint una & eadem, ſi diverſæ, uti reverà ſunt, debent neceſſariò eſſe diverſæ ſecundùm diverſum terminum præciſè ut reſpectivum. Vnde communiter Theologi docent, in Divinis omnia eſſe idem, ubi non eſt Relationis oppoſitio; creata verò terminari poteſt ad abſolutum, imò debet, ſaltem in non mutuis, ut infrà patebit.

CLXVII. Reſpondeo 2°. diſtinguendo antecedens juxtà inſinuata Tract. 1°. Diſp. 2. Dub. 5°. concluſionem, quam in Theologia propugnamus, nempè, *Relationes Divinas à Natura Divina ſolâ ratione formali extrinſecâ diſtingui.* In Divinis Paternitas ſub illo nomine eſt antè intellectum ut realiter correlativa filiationis, concedo antecedens: nec mirum, quia præciſè ut talis, realiter diſtinguitur à filiatione: verùtamē ut realiter eſt, nō minùs eſt de Prædicamēto Subſtantiæ & actionis, quàm Relationis: ut forma conſtituens formaliter Patrē, & ut à ſubjecto ſuo Prædicamentaliter diſtincta, nego antecedens, quia ut talis ſolâ ratione à Natura Divina diſtinguitur; quomodò autem poſſit eadem Paternitas eſſe realiter ut correlativa, & non eſſe realiter ut forma, &c. cùm tamen ſit eadem entitas, eſt myſterium fidei incomprehenſibile, & his ſimile, *Paternitas & filiatio ſunt realiter inter ſe diſtinctæ & tamen unum & idem cum Natura Divina; Natura Divina poteſt realiter produci ut Filiatio; non verò ut natura, cum tamen eadem ſit entitas.* Vnde Pater in Divinis, eſt realiter Pater ut correlativus filiationis realiter; & non eſt realiter Pater, prout Paternitas Divinam eſſentiam tamquam ſubjectum denominationis reſpicit: quia ut ſic, ratione formali ab ea diſtinguitur, ut dictum eſt.

CLXVIII. Inſtabis 2°. ratio fundandi paternitatem, eſt generatio; ſed illa eſt antè intellectum, ergò & Paternitas.

CLXIX. Confirmatur: eodem modo ſe habet Paternitas ad generationem, quo ſe habet unio relativa Prædicamentalis ad unionem realem tranſcendentalem; ſed hæc eſt antè intellectum, & ratio fundandi illius etiam eſt antè intellectum, ergò ſimiliter Paternitas.

CLXX. Reſpondeo, diſtinguendo majorem: fundamentalis ratio fundandi paternitatem eſt generatio, & illa eſt antè intellectum, concedo majorem:

 formalis,

formalis, & illa eſt antè intellectum, nego majorem: nam illa eſt conceptus, de quo immediatè antè. Eodem modo Reſponde ad Confirmationem. Nec putes, rationem formalem fundandi hic fruſtrà à fundamentali diſtingui: tanta enim eſt neceſſitas hujus diſtinctionis, quanta diſtinctionis Prædicamenti Relationis à Prædicamento Actionis, cujus Prædicamenti eſt generatio, & à Prædicamento Qualitatis, cujus Prædicamenti eſt unio accidentalis diſtincta ab eductione. Vel enim Paternitas à generatione, unio prædicamentalis à tranſcendentali, diſtinguitur prædicamentaliter antè intellectum, vel non? ſi non, ergò Paternitas & unio, ut Prædicamenti Relationis, fundantur formaliter in ratione ſive conceptu. Si ſic; ergò Prædicamentum Relationis diſtinguitur realiter, & antè intellectum ab aliis Prædicamentis, quod Dub. 4°. fusè impugnabitur.

CLXXI. Objicies 2°. fruſtrà poni duplicem rationem fundandi; remotam unam, v. g. generationem, eò quòd poſitâ ſolâ generatione non ponatur formalis Relatio Paternitatis; aliam proximam, quæ dicitur eſſe cognitio intellectus concipientis hominem v. g. generantem ut principium generativum, eò quòd hâc ſolâ poſitâ ponatur ſtatim Relatio; fruſtra, inquam & falsò, quia independenter ab omni cognitione, per ſolam poſitionem generationis pater eſt formaliter pater, & filius formaliter filius; poniturque hâc ſolâ poſitâ formaliſſimè ratio Paternitatis & Relationis, ut latiùs infrà monſtrabitur.

CLXXII. Reſpondeo, negando aſſumptum, quia ſi independenter ab omni cognitione, per ſolam generationis poſitionem ponatur formaliſſimè Relatio Paternitatis, ergò Relatio formaliſſimè ſumpta, non diſtinguitur à generatione, entitate patris & entitate filii, quod eſt evidenter falſum; quia Relatio formaliſſimè ſumpta, dicit eſſe abſtractum à fundamento, termino & ratione fundandi, de illiſque negari poteſt, ut evidenter patet: imò formaliſſimè ſumpta, dicit illam abſtractionem, quia dicit id, quo præcisè ſub mente Prædicamentum Relationis diſtinguitur à reliquis Prædicamentis; alioqui nec re, nec ratione formali Prædicamentum Relationis diſtingueretur ab aliis Prædicamentis, quod contrà Ariſtotelem & omnes admitti non poteſt; independenter verò ab omni cognitione per ſolam poſitionem generationis, fundamenti & termini, non habetur abſtractio, quam importat Relatio formaliſſimè ſumpta; ergò eſt falſum Relationem formaliſſimè ſumptam non diſtingui à generatione, entitate patris & entitate filii, ſive fundamento, termino & ratione fundandi.

## DUBIUM V.

### *An Relatio Prædicamentalis exigat terminum actualem realiter actu exiſtentem.*

### RESOLUTIO.

CLXXIII. Dico contrà RR. PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam & Oviedum Metaph. Controv. 9. parte 3ª. ubi ſic habet: *Fert omnium Doctorum ſententia Relationem Prædicamentalem eſſentialiter exigere terminum realem realiter exiſtentem.* Item & contrà Comptonum Metaph. Diſp. 11. Sect. 13. ubi dicit, affirmativam eſſe communem contrà Gregor. in 1. diſt. 28. q. 23. Nulla Relatio Prædicamentalis exigit terminum actu exiſtentem. Hæc concluſio, ſuppoſitâ veritate Reſolutionum Dub. 4ⁱ, videtur debere eſſe omnium, ita nominatim P. Noſter Bacho Quodlib. 1°. q. 13. Concl. 4. & Quodlib. 2°. q. 2ª art. 2° §° 4°.

CLXXIV. Probatur 1°. ſi aliquæ Relationes exigerent terminum realiter actu exiſtentem, maximè eſſent Relatio identitatis inter Subſtantias; Relatio æqualitatis inter Quantitates; & Relatio ſimilitudinis inter Qualitates: atqui hæ Relationes non exigunt terminum realiter actu exiſtentem, ergò, &c. probatur minor, quia quælibet identitas Subſtantiarum; æqualitas Quantitatum; ſimilitudo, Qualitatum, ſequitur unitatem formalem earum: ſed hæc, utpotè conceptus confundens duo per modum unius, non exigit duas Quantitates, vel duas Qualitates actu exiſtentes, ergò, &c. Hinc paulò aliter

CLXXV. Confirmari poteſt concluſio, Relationes dictæ neceſſariò ſequuntur conceptum multa unificantem, ſive multa repræſentantem per modum unius; ſed conceptus, ut vel experientia docet, non requirit terminum actu exiſtentem, ergò, &c.

CLXXVI. Nec dicas ex P. Oviedo hæc eſſe naturæ lumini diſſona, parietem album eſſe ſimilem parieti non albo, ſive non exiſtenti, quia poſſibile eſt talem parietem album exiſtere; item montem eſſe æqualem lapillo, quia poteſt in montem magnum excreſcere: ne id dicas inquam, quia videtur decipi P. Oviedus: non enim dicimus parietem album exiſtentem eſſe ſimilem parieti albo non exiſtenti, quia poſſibile eſt hunc parietem album exiſtere; ſed quia uterque uno conceptu, ſive conceptu utrumque in ratione albi confundente, concipitur; item non dicimus montem eſſe æqualem lapillo, quia lapillus poteſt in montem magnum excreſcere, ſed quia duo quanta v. g. duo montes, ſive exiſtant, ſive non, ſub conceptu unificante in ratione quanti confunduntur, commenſurantur, &c. quæ ſunt toto cœlo diverſa, nec Adverſarii noſtri aliter ſuam ſimilitudinem & æqualitatem rectè explicant, ut patet ex Dub. 4°: hinc ulterius enervatur 2ª ratio P. Oviedi, terminus eſt de eſſentia Relationis, ergò illo non exiſtente exiſtere non poteſt. Reſpondeo diſtinguendo conſequens, ergò termino non exiſtente realiter, Relatio exiſtere non poteſt modo ſibi proprio ſive ſub conceptu, nego conſequentiam: termino non exiſtente intentionaliter, concedo conſequentiam; verùm hæc exiſtentia non eſt realis, ſed ſub conceptu, undè manet quod Relatio non requirat terminum realiter exiſtentem.

CLXXVII. Probatur 2°. inter cauſam & effectum, 1ᵃᵐ. horam & 2ᵃᵐ. eſt Relatio prædicamentalis prioris & poſterioris; ſed Relatio prioris eſt non realiter actu exiſtente poſteriore, ſive termino, ergò, &c. probatur minor: quia; præterquam quod optimè concipiam dependentiam effectus à cauſa, & ſucceſſionem horæ 2ᵉ. ad 1ᵃᵐ, in quibus fundamentaliter fundatur Relatio prioris & poſterioris, licèt nec cauſa, nec effectus, nec hora 1ª. nec 2ª exiſtant; Relationes prioritatis & poſterioritatis ſunt correlationes, quæ non debent eſſe ſimul tempore, alioqui deſineret Paternitas moriente filio, quod loco citato negat P. Oviedus, ſed ſimul naturâ, id eſt conceptu, ergò, &c.

CLXXVIII. Probatur 3°. terminus Relationis prædicamentalis ſæpè eſt ens omninò fictum & chymæra,

chymæra, ergò non requirit terminum realiter actu exiſtentem. Probatur antecedens, quia actus quo dico, *chymæra terminat judicium*, pro tempore quo id terminat dicit Relationem prædicamentalem conformitatis actus ad objectum; pro tempore verò quo id non terminat, difformitatis, ergò, &c.

CLXXIX. Objicies tamen 1°. Relatio eſt accidens, ſed non erit talis, niſi requirat terminum actu exiſtentem, ergò, &c. Probatur minor, quia cum à ſubjecto, utpotè accidens, abeſſe poſſit, ipſa ſaltem, ratione termini deſinentis, abeſſe debebit, quod non poterit, quia terminus deſinere non poterit, ergò, &c.

CLXXX. Reſpondeo, negando minorem, ad ejus probationem, Reſpondeo ſemper abeſſe poſſe per mentem negantem, quod ſufficit: deindè Relatio, non tantùm abeſſe poteſt cum deſinit terminus, ſed etiam cum incipit; nam ut patet ex probatione 3a. quandò incipit chymæra judicium terminare, Relatio prædicamentalis conformitatis actus, quo dicebam, *chymæra terminat judicium*, deſinit eſſe, & ponitur Relatio difformitatis.

CLXXXI. Objicies 2°. ſi ſimilitudo non requirat terminum actu exiſtentem, paries albus exiſtens dicet infinitas ſimilitudines ad infinitos parietes albos poſſibiles, & idem eſt de æqualitate; ſed hoc eſt abſurdum, ergò, &c.

CLXXXII. Reſp. negando ſequelam, quia quælibet ſimilitudo præſupponit ſuam rationem ſive conceptum unificantem, undè paries non dicit niſi ſimilitudinem cum iis, cum quibus eſt per conceptum unificantem factus unus, eo modo, quo ſuprà Tract. 1°. Diſp. 3. Dub. 8. diximus naturam univerſalem non eſſe univerſalem, niſi reſpectu eorum, quæ uno conceptu confuſo concepta ſunt, & à quibus proindè abſtracta eſt.

CLXXXIII. Probatur 4°. juxtà communem modum loquendi omnium, pater rectè dicitur pater filii defuncti; & è contrà, filius defunctus rectè dicitur filius patris exiſtentis; cur hoc, niſi quia Relatio prædicamentalis paternitatis & filiationis fundatur immediatè in conceptu generationis filii, ut principiati, à patre ut principio tamquam immediata ratione fundandi *ut quo*, ut conſtat ex dictis Dub. 4°. atqui conceptus ille, nec patrem, nec filium actu exiſtentem requirit, ergò, &c.

CLXXXIV. Objicies 1°. ex P. Comptono loco citato. Eſt de communi conſenſu omnium, neminem eſſe patrem, niſi qui actu habet filium juxtà illud Damaſc. lib. 1°. Orthod. fidei. cap. 8°. *Neque enim pater vocari queat, qui filio careat*. Vndè communiter dici ſolet, *Ablato termino perit Relatio*. Item *poſito fundamento & termino reſultat Relatio*, ergò, &c.

CLXXXV. Confirm. ex eodem. 1°. Communiter ab omnibus dicitur. *Pater eſt, qui habet filium*; quæ definitio eſſet diminuta, niſi Relatio requireret actualem exiſtentiam termini; jam enim quivis eſſet pater reſpectu filii poſſibilis, cum non requirat terminum actu exiſtentem; vel ſaltem mortuo filio adhuc eſſet actu Pater, quod eſt contrà communem Philoſophorum ſententiam, & per ſe videtur falſum. Vndè S. Thomas 4°. contra Gen. cap. 14. ait, hæc eſt ratio patris, ut ſit filii pater; non poteſt autem eſſe pater filii, ſi filius non ſit, ſicut nec dominus ſervi mortui; quia nullus dicit talem eſſe, ſed fuiſſe filium talium parentum, ergò communis ſenſus eſt actu illum non eſſe filium, qui non habet vel patrem vel matrem. 2°. quia Relatio Prædicamentalis eſt, *Cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere*. Res autem non exiſtens non eſt propriè *aliud*, cum omninò non ſit, imò nihil. 3°. quia paries albus non eſt actu ſimilis parieti, qui nullum in ſe habet colorem, quamvis ſit albedo in eo poſſibilis, ergò requirit Relatio ſimilitudinis terminum exiſtentem.

CLXXXVI. Reſpondeo, negando aſſumptum; ad ejus probationem, Reſpondeo Damaſcenum hoc modo videri intelligendum, *Neque enim pater vocari queat, qui filio careat*, id eſt, qui filium non genuerit; quia reverà magis ille filio caret, qui filium generat, quam qui genuit filium, ſicut magis eſt filius, quem genuit pater, quam qui gignitur; hoc tamen magis ſtatim declarabitur, quarè

Ad Confirmationem

CLXXXVII. Reſpondeo verborum iſtorum, *Pater eſt, qui habet filium*, eſſe hunc per ampliationem ſenſum, *Pater eſt, qui gignit, vel genuit filium*, non verò, *qui gignit tantùm*, quia, qui gignit magis eſt in fieri pater, quam in facto eſſe, ut conſideranti patebit; ac proindè melius dicetur eſſe in potentia proxima ad habendum filium, quam filium habere, quia *habere* præſupponit factum; undè illa definitio, *Pater eſt, qui habet filium*, hoc ſenſu intellecta, *Pater eſt, qui gignit vel genuit filium*, etiam defuncto filio, non eſt magis diminuta, quam hæc, *Filius eſt, quem gignit vel genuit pater*, defuncto patre, ſit diminuta: ſive enim adhuc vivat filius, aut pater, ſive mortuus ſit, ly *genuit* ſemper ſuam ſignificationem retinet, ex quo patet reſponſio ad cætera, quæ pro objecta confirmatione à Patre Comptono adferuntur. 1°. non dari patrem reſpectu filii poſſibilis, licèt ly *pater* non requirat terminum actu exiſtentem. 2°. dari dominum reſpectu ſervi defuncti, quia, uti *Pater ſignificat eum, qui filium gignit, vel genuit*, ità *dominus ſervi* per ampliationem ſignificat eum, *Qui dominatur vel dominatus fuit ſervo*: quis enim neget eum, qui domino aliquando inſervivit, dicere tandem *dominus meus mortuus eſt*; & eum, qui aliquandò ſervum habuit è contra tandem dicere, *Servus meus mortuus eſt?* qui modus loquendi verificari non poteſt, niſi ex præſuppoſito dictæ ampliationis. Et certè equidem, non eſt, qui prudenter neget D. Virginem, Chriſto jam defuncto, doluiſſe mortem filii, & nunc poſt reſurrectionem ejus, jam primâ Chriſti generatione tranſactâ, eam eſſe Matrem Chriſti, idque ideò præcisè, quia Chriſtum aliquando genuit. 3°. definitionem quâ Relatio definitur *cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere*. non ſignificare ly *aliud* debere exiſtere, ſed ſolùm diſtingui à fundamento, ſaltem tamquam intentionale à reali, quia ibi non dicitur *eſt ad aliud realiter ſe habere*, ut patet.

CLXXXVIII. Confirm. tandem Reſolutio noſtra: Relatio tranſcendentalis non requirit exiſtentiam, imò ulla, nec poſſibilitatem termini, ut patet, in omnipotentia, cognitione, &c. ergò nec prædicamentalis: probatur conſequentia. 1°. quia Relatio tranſcendentalis in eo præcisè à prædicamentali diſtinguitur, quod illius denominatum proximum concipi non poſſit ſinè Relatione ad terminum; hujus verò concipi poſſit, ut Dub. ſequenti probabitur, alioqui exiſtentia termini ad iſtud *poſſe vel non poſſe concipi*, planè impertinens eſt, ut conſideranti patebit, ergò, &c.

## DVBIVM VI.

*In quo præciſè diſtinguatur Relatio tranſcendentalis à Prædicamentali.*

CLXXXIX. NOnnulli in eo eam præciſè diſtinguunt, quod tranſcendentalis non petat diſtinctionem realem à ſuo termino, ſecus prædicamentalis. Sed

CLXXXX. Contrà eſt 1°, quod nec prædicamentalis, prædicabilitatis videlicet ſpeciei ad individuum, petat diſtinctionem realem à ſuo termino; nec tranſcendentalis eam renuat, ut in cognitione Petri patet: 2°, quod ſicut tranſcendentalis in cognitione prout eſt ſui ipſius cognitio, non petit diſtinctionem realem à ſuo termino; ità nec Relatio ſimilitudinis A. prout eſt ſeipsâ ſimilis ſimilitudini B. eam petit.

CLXXXXI. Dices, non datur Relatio ſui ad ſeipſum, ſive ut loquitur P. Comptonus Diſp. 11. Metaph. Sect. 13. Relatio non poteſt eſſe inter extrema nòn realiter diſtincta; quia Relatio eſt quædam oppoſitio, undè Ariſtoteles in Poſt-Prædicamentis inter oppoſitiones unam numerat *relativam*; ſed ubicumquè eſt oppoſitio eſt diſtinctio; nam oppoſitio intercedit neceſſariò inter extrema realiter diſtincta; ejuſdem enim ad ſeipſum non datur unio, ac proindè nec oppoſitio, ob defectum diſtinctionis, ergò, &c.

CLXXXXII. Confirmatur: ex eodem ibidem. Theologi indè probant realem diſtinctionem inter Perſonas Divinas, quia inter illas datur vera Relatio ſeu oppoſitio relativa, ergò cenſent ad veram Relationem requiri diſtinctionem realem.

CLXXXXIII. Reſpondeo, diſtinguendo aſſumptum, non datur Relatio ſui ad ſeipſum 1o. intentionalis, concedo aſſumptum: 2°. intentionalis, nego aſſumptum. Talis enim eſt Relatio ſuperioris & inferioris, ſpeciei & individui, &c. ad probationem aſſumpti diſtingue proportionaliter. Relatio eſt quædam oppoſitio determinatè 1°. intentionalis, nego aſſumptum: 1°. aut 2°. intentionalis disjunctivè & indeterminatè, concedo aſſumptum.

Ad Confirmationem

CLXXXXIV. Reſpondeo, Theologos probare diſtinctionem realem inter Perſonas Divinas ex oppoſitione relativa inter illas, non quâcumque, ut patet, ſed 1°. intentionali & reali; ex quo erui non poteſt, non dari aliam 2°. intentionalem & rationis; undè Petrus dici non debet realiter idem ſecum formaliter, ſed ratione noſtra tantùm, & ſub conceptu formaliter identificante Petrum ſecum, ſic ut realiter nonniſi fundamentaliter ſit idem ſecum, prout realiter nonniſi fundamentaliter eſt homo, prout ly *homo* condiſtinguitur contra hunc hominem, ut Tract. 1°. Diſp. 1ª. vidimus.

CLXXXXV. Alii, ut Cajetanus, Suarez, Conimb. Comptonus, &c. Relationem tranſcendentalem à prædicamentali in eo diſtinguunt, quod tranſcendentalis non reſpiciat ſuum terminum omninò gratis, ſeu purè ut terminum, id eſt, aliam denominationem ei non dando, quàm reſpecti, prout viſio v. g. præter denominationem reſpecti, dat etiam objecto denominationem viſi.

CLXXXXVI. Rejicitur diſtinctio iſta à pleriſque, eò quod in omnium ſententia creatura reſpiciat Deum Relatione tranſcendentali, & tamen ipſum reſpicit purè ut terminum. Sed hæc impugnatio non placet; quia creatura Deum creationis Relatione reſpicit, creatio autem præter denominationem reſpecti, dat Deo denominationem creatoris, ac proindè Deum non reſpicit ut purè terminum: igitur aliter.

CLXXXXVII. Contrà eſt, quod juxtà illam ſententiam Relationes prædicamentales in unione, in cognitione, ut prædicabilitas v.g. &c. fundatæ, ſint tranſcendentales, quia hæ præter denominationem reſpecti, dant ſuo objecto denominationem uniti, prædicabilis, &c. His itaque præ aliis probabilibus ſententiis rejectis, ſit

### RESOLUTIO.

CLXXXXVIII. DIco, Relatio Tranſcendentalis à Prædicamentali in eo diſtinguitur, quod illa ſit eſſentialis quoad nos fundamento, quod proximè denominat; hæc verò nonniſi accidentalis.

CLXXXXIX. Probatur, quia Tranſcendentalis ab eo dicitur, quod omne Prædicamentum, ſaltem quoad nos, tranſcendat; Prædicamentalis, quod in hoc ſolo Prædicamento ponatur, quæ diſtinctio ſufficit & maximè vera videtur, ergò, &c.

## DVBIVM VII.

*An Relatio formalis Prædicamentalis ſit forma fundamento intrinſeca, an extrinſeca.*

CC. VIx in tota Philoſophia quæſtio eſt, quæ magis moveatur, & diſputetur accuratius, quam hæc, eo quod Relatio omnia fere tangat, & quæ tangit referat: quod autem hîc controvertitur præſertim eſt 1°. an Relatio formalis Prædicamentalis ſic ſit fundamento intrinſeca, ut ab eo realiter modaliter diſtinguatur. 2°. an Relatio formalis Prædicamentalis ſic ſit fundamento intrinſeca, ut ita ſit tota intrinſeca fundamento connotando terminum extrinſecum, ut ab eo nequidem realiter modaliter diſtinguatur; vel ſic, ut ſit partim intrinſeca fundamento, partim extrinſeca, utpotè fundamento & termino æquè 1°. identificata. 3o. an ſit tota extrinſeca ſoli conceptui realiter identificata, & nonniſi per denominationem extrinſecam fundamento & termino conveniens. Pro quibus, ſit

### RESOLUTIO I.

CCI. DIco 1°. contrà Scotiſtas communiter poſt Scotum in 2um. Diſt. 2ª. q. 4. & Thomiſtas etiam communiter; (an cum D. Thoma? infrà apparebit) Relatio formalis Prædicamentalis, non eſt fundamento intrinſeca, ſic ut ab eo realiter modaliter diſtinguatur.

CCII. Probatur 1°. vel etiam ex ipſo D. Thoma Quæſt. 7. de potentia art. 3°. ubi docet, Relationem *Non facere compoſitionem cum ſubjecto: non ſignificare aliquid in ſubjecto manens: deſinere ſine mutatione fundamenti*, &c. Et Opuſc. 48. Tract. 5°. de Prædicamento ad aliquid cap. 2°. *Si quis in India modo fieret albus* (inquit) *fieret ſimilis mihi, & ego ſibi, nullâ in me factâ mutatione: ſimilitudo enim jam in me nullam rem addit, ſuprà albedinem, quæ realiter ſit in me.* Similia ferè habet cap. 1°. & 3°. ergò, &c.

CCIII. Dices, cum P. Comptono Diſp. 11. Metaph. Sect. 7. verba illa Divi Thomæ explicari debent juxtà hæc alia ejuſdem 1. p. q. 28. art. 2o. ad 2um. *Sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relative,*

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*non ſolum eſt invenire reſpectum ad alterum, ſed etiam aliquid abſolutum, ità & in Deo: ſed tamen aliter & aliter: nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi, eſt alia res, in Deo autem non eſt alia res, ſed una & eadem.* Item $4^{o}$. contrà Gent. cap. 14. art. $1^{o}$. *Relatio realiter adveniens ſubſtantiæ, & poſtremum & imperfectiſſimum eſſe habet, quia non ſolùm præexigit eſſe ſubſtantiæ; ſed etiam eſſe aliorum accidentium, ex quibus creatur Relatio, ſicut unum in Quantitate cauſat æqualitatem, & unum in Qualitate ſimilitudinem.* Quid clarius? addit P. Comptonus, ergò, &c.

CCIV. Reſpondeo ad $1^{um}$. nihil indè contrà nos erui poſſe, quia S. Thomas ibi tantùm intendit contrà Porretanum ſalvare Dei ſimplicitatem, quæ non ſit in creatura, propter quod dicit, *In creatura præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relativi*, id eſt, Relatione & ejus immediato denominato, albedine v. g. quantitate, &c. *Eſt alia res* videlicet ſubſtantia. *In Deo autem, non eſt alia res.* Ex quo tantùm ſequitur immediatum denominatum Relationis in creaturis eſſe aliam rem à mediato, in Deo autem non dari mediatum.

CCV. Reſp. ad $2^{um}$ nihil plus ex eo, quàm ex præcedenti contrà nos erui poſſe, quia ibi tantùm intendit D. Thomas ſalvare identitatem Relationum Divinarum cum Dei ſubſtantia & ab alio independentiam, è contrà noſtrarum à ſubſtantia noſtra diſtinctionem & ab alio dependentiam, quod totum ſalvatur dicendo, Relationes in nobis identificari conceptibus relatificantibus ſecundùm modum operandi ſpectatis, juxtà dicta ſuprà de intentione formali univerſalificante; ut ſic enim Relatio in nobis *eſt realiter adveniens*, id eſt, conceptus realiter exiſtens adveniens *ſubſtantiæ*. Item *& poſtremum & imperfectiſſimum eſſe habet*, utpotè eſſe conceptum tantùm: & denique *non ſolùm dependet ab eſſe ſubſtantiæ* tamquam denominato & fundamento, ſaltem remoto, *ſed etiam*, ut ibidem loquitur, *Ab eſſe alicujus exterioris*, conceptus ſcilicet. Hæ autem explicationes mihi tantò ſunt probabiliores quod alioqui, nonniſi contortè loca ex q. 7. de potent. & Opuſc. 48. num. 200. citata explicari poſſint, & alioqui videatur S. Thomas apertè ſibi contradicere. Quod autem $2^{o}$. contrà Gent. cap. 12. num. $3^{o}$. dicat *Deum non referri ad res in tempore productas per Relationem realiter in ipſo exiſtentem, quia non mutatur*, & ut loquitur num. $4^{o}$. *Cuicumquè aliquid de novo advenit, neceſſe eſt illud mutari, vel per ſe, vel per accidens*, &c. Non obſtat, ſed, cum inde inſinuet Deum ſolùm referri ad res in tempore productas per Relationem ipſi extrinſecam, Reſolutionem noſtram confirmat, præſertim cum de Relatione in nobis non dicat eſſe intrinſecas, ſed *ab exteriori*, ut ſtatim vidimus: imò Opuſc. 48. Tract. $5^{o}$. de Prædicamento ad aliquid dicit, *Relationem à Qualitate extrinſecè diſtingui.*

CCVI. Probatur $2^{o}$. ratione. Sicut compoſitum ut tale non eſt modus animæ vel corpori intrinſecus, ab eoque modaliter diſtinctus; ità nec Relatio eſt modus fundamento vel termino intrinſecus, ab eoque modaliter diſtinctus: non enim eſt major ratio in uno unum modum multiplicandi, quam in alio. Vndè D. Thomas q. 7. de potent. art. $8^{o}$. ait *Relationem non facere compoſitionem cum ſubjecto.* Puta realem ut opponitur intentionali, ergò, &c.

CCVII. Probatur $3^{o}$. quia ex oppoſita ſententia ſequitur ad leviſſimum frondis vel atomi motum reſultare infinitos modos Relationum præſentiæ, diſtantiæ, ſimilitudinis, diſſimilitudinis, &c. in omnibus entibus totius mundi; ſed hoc eſt abſurdum, ergò, &c. Probatur minor, quia non eſt aſſignabilis cauſa determinans entia iſta ad tales entitates novas in ſe producendas: non enim frons ipſe, quia plerumquè nimium diſtat, nec agere poteſt in diſtans: non etiam ipſamet entia, quia quis illis vellicat aurem ut ad leviſſimum frondis, plerumque ſummè diſtantis, motum evigilent, & tot novas entitates in ſe producant; neque id refundi poteſt in propenſionem naturalem ipſorum, nam cum uno potius tempore, quàm alio illas producant, & nonniſi dicto motu facto, natura inſtituiſſe debuiſſet ſuos emiſſarios curſores, qui quàm citiſſimè cætera entia talis motus recens facti certiora facerent, quod eſt pluſquàm delirium. Vndè D. Thomas Opuſc. $48^{o}$. Tract. $5^{o}$. de Prædicamento ad aliquid cap. $2^{o}$. dicit, *Si quis in India modo fieret albus, fieret ſimilis mihi & ego ſibi, nulla in me facta mutatione; ſimilitudo enim in me nullam rem addit, ſuprà albedinem quæ realiter ſit in me, ut patet.*

CCVIII. Nec ſalubriter hoc abſurdum devorant nonnulli dicentes id admitti poſſe, quia Relationes non ſunt ſimpliciter aliquid, ſed ad aliquid: Ens enim & aliquid convertuntur; ens autem univocè dividitur in reſpectivum & abſolutum; ac proindè licèt Relationes non ſint ſimpliciter ens aut aliquid abſolutum, ſunt tamen ſimpliciter ens, & aliquid reſpectivum, ſive ſimpliciter aliquid ad aliquid. Adde ex dicendis in Phyſica de ubi, Relationes in illa ſententia non eſſe modos dicendas, ſed res, quæ in omnium ſententia ſunt ſimpliciter ens abſolutum & aliquid; ex qua etiam parte multiplicabuntur entia, ſcilicet unio Relationis, & Relatio uniti ad Relationem, ſubjectum, &c. ſinè neceſſitate.

CCIX. Confirmatur: unitas ſivè ſimilitudo formalis duorum eſt quædam prædicabilitas de multis ut ſuprà num. 159. vidimus; ſed prædicabilitas formalis non eſt prædicabilibus ſuis intrinſeca, ergò nec Relatio relativis.

CCX. Probant alii $1^{o}$. communiter ex Ariſtotele $5^{o}$. Phyſic. Text. 10. & 11. *Ad Relationem non datur motus*, quia Relatio fit ad mutationem alterius: ille autem (ut patet) ad eam dari deberet ſi Relatio diſtingueretur, &c. Sed hæc probatio non placet, quia reſponderi poteſt Ariſtotelem ſolùm negare reſultantiam ſive motum à Relatione realiter diſtinctum, non verò ipſam eſſe ipſammet ſui reſultantiã & motum, prout eſſe deberet, ne alioqui in actionibus & relationibus inter ſe realiter diſtinctis admittere oporteret proceſſum in infinitum, ad quem vitandum dicitur actio fieri ſeipsâ, unio uniri ſeipsâ &c. ſi enim pater v. g. genito filio producat in ſe paternitatem per actionem realiter diſtinctam, paternitatem & iſtam actionem reſpiciet per Relationem novam cauſæ ad effectum, quam etiam producere debebit & reſpicere, &c. & ſic in infinitum. Quod verò alii hinc inferunt ſaltem fore, ut Deus, poſito fundamento, termino & ratione fundandi, Relationem impedire poſſit, per ſubtractionem concurſus, cum tamen ſit impoſſibile illam non ſequi illis poſitis; mihi non eſt majoris efficaciæ; quia reſponderi poteſt illas Relationes eſſe omninò neceſſarias, non ſecus ac ubicationes, durationes, &c. de quibus in Phyſica. Deindè reſponderi poteſt Ariſtotelẽ tantùm negare ad Relationẽ

dari motum 1°. intentionalem, quia ipſa fit ad mutationem conceptus, ut infrà docebimus.

CCXI. Probat 2°. alii cũ P. Arriaga Diſp. 12. Log. Sect. 6ª. dantur duo ſimilia ſinè Relatione realiter diſtincta, ut v. g. duæ ſimilitudines, ergò idem de omnibus dicendum. Verùm hoc argumentum non eſt efficacius altero, quia imprimis optimè negari poteſt antecedens; ex eo enim, quod duæ ſimilitudines referantur ad invicem per ſimilitudinem realiter diſtinctam, non magis ſequitur proceſſus in infinitum (quem ſequi malè putat P. Arriaga) quam ex eo, quod univerſalitas, quæ eſt aliis ratio prædicandi *ut quòd*, apta ſit prædicari *ut quòd* per univerſalitatem realiter diſtinctam: ratio eſt, quia ſemper intervenire debet novus conceptus univerſaliſicans, in quo pro voluntatis arbitrio ſiſti poſſit. Deindè retorquetur argumentum hoc modo: datur aliquis effectus ſinè actione realiter diſtincta, aliquod unitum ſinè unione realiter diſtincta, ergò idem de omnibus dicendum, conſequentia eſt apertè falſa & contrà ipſummet Arriagam; & ratio diſparitatis quam adfert Arriaga, videlicet, quod effectus alii ſint indifferentes ut pendeant ab hac vel illa cauſa; duæ albedines verò exiſtentes, vel duæ earum ſimilitudines, non ſint indifferentes ut ſint inter ſe ſimiles, etiam divinitus, ſed neceſſariò ſunt tales; nulla eſt, quia, ut diximus, non ſunt tales fundamentaliter, niſi interveniat conceptus unificans, qui abeſſe & adeſſe poteſt, illis exiſtentibus.

CCXII. Adde tamen, quod ſicut duæ albedines non ſunt ſibi invicem albedines per aliam albedinem, eo quod ſint ſibi ipſi eſſentialiter, quod aliis dant accidentaliter; ità nec duæ ſimilitudines eſſe poſſunt ſibi invicem per aliam ſimilitudinem ſimilitudines, eo quod ſint ſibi ipſi eſſentialiter, quod aliis dant accidentaliter, ſic nempè, ut ſimilitudo ſit Prædicamentalis reſpectu fundamenti, & quodammodò tranſcendentalis ab eo, quod neceſſariò concipiatur ſimilis omni ſimilitudini, ſive exiſtenti, ſive non, ſeu ſimilitudini præſcindendo ab ejus exiſtentia vel non exiſtentia; & diſſimilis omni enti, quod eſt diverſæ naturæ; idem enim eſſe iſto ſenſu ſimilitudinem & diſſimilitudinem, vel ipſi Adverſarii fateri debent, dum dicunt Relationem ſaltem inadæquatè fundamento identificari.

CCXIII. Probat 3°. P. Oviedus Diſp. 9. Metaph. punct. 4°. ſi Relatio diſtingueretur realiter intrinſecè à fundamento & termino, una Relatio fundaret aliam: Relatio enim identitatis inter Petrum & Ioannem eſſet diverſa à Relatione ſimilitudinis inter duo alba, ac proindè fundaret aliam Relationem diverſitatis, & hæc aliam, & ſic in infinitum. Sed hæc probatio rejicitur ut præcedens P. Arriagæ, & retorquetur in actionem: quæro enim quare actio ſeipsâ, in ſententia P. Oviedi & aliorum, dependeat ab hoc principio tamquam proprio modificato, & non ſeipſa ab alio, ſic ut ab alio, quam proprio modificato, ſaltem divinitus, pendere poſſit per actionem realiter diſtinctam? Reſpondebit, quia ex eo quod actio ſeipsâ ab hoc principio tamquam proprio modificato non penderet, ſequeretur proceſſus in infinitum; non verò ex eo quod ab alio quam proprio modificato ſeipsâ non penderet: ſimiliter reſpondeat Relationes illas inter ſe & ad alias referri ſeipſis, quia alioqui ſequeretur proceſſus in infinitum (ut ait,) undè malè trahit paritatem ab actione ad Relationem hoc modo, ſicut actio à proprio modificato dependet ſeipsâ, & non ſeipsâ ab alio, quam proprio, ità Relatio identitatis Petri ad identitatem Ioannis refertur ſeipsâ, & non ſeipsâ ad alias; malè inquam, quia ſi ad alias non referretur ſeipsâ, ſequeretur proceſſus in infinitum, qui non ſequitur ex eo, quod actio non pendeat ſeipsâ ab alio, quam proprio modificato.

CCXIV. Addo tamen allatas probationes in aliorum ſententia eſſe plerumque efficaciſſimas, quod colligendum erit ex diverſis uniuſcujuſque principiis; quam tamen ſint infirmæ in noſtra ſententia, oſtendiſſe ſat eſt.

## RESOLUTIO II.

CCXV. Dico 2°. contrà pleroſque Nominales, quos ſequuntur PP. Arriaga Diſp. 12. Logic. Sect. 5, numer. 19. Hurtadus Diſput. 15. Metaph. Sect. 2ª. Oviedus Controv. 9. Metaph. Sect. 4. numer. 19. imò etiam Suarez & plures alii locis Reſolut. præcedenti citatis. Relatio prædicamentalis eſt forma fundamento & termino extrinſeca, ab eiſque realiter adæquatè diſtincta: eſt Aureoli in 1um. Diſt. 30. q. 1ª. apud noſtrum Bachonem in 1um. Diſt. 28. q. 1. art. 2°. ubi ſic ſcribit: *Aureolus Diſt. 30. q. 1. art. 2°. tenet, quod Relatio accepta pro habitudine non habet eſſe circumſcripto omni opere intellectus & ſenſus: imò illud, quod eſt in rebus de Relatione ſunt fundamenta & termini, habitudo vero inter illa eſt ſolùm objectivè in anima cogitativa: & q. 2ª. art. 1°. declarat ſe ſic: Relatio realis non dicitur eo quod eſt in actu (puta 2°) in re, ſed eo quod eſt in re ſecundùm potentiam propinquam, ita quod cogitur intellectus illam reducere in actu.* Eſt ſimiliter Henrici Quodl. 7. q. 1. in Reſp. ad 2um Arg. etiam apud noſtrum Bachonem loco citato art. 3°. ubi ſic ſcribit. *Henricus Quodl. 7° q. 1. &c. declarat ſuam opinionem*, nempe quod Relatio non ſit aliquid reale ſecundùm propriam & formalem rationem, *Sic in omni Prædicamento aliud eſt res Prædicamenti, aliud ratio formalis Prædicamenti: formalis enim ratio Prædicamenti à reipſa Prædicamenti præciſa non eſt niſi nomen 2æ intentionis.* Id eſt, poſt conceptum, ut Tract. 1. Diſput. 1. probatum eſt. Neque ab hac ſententia alienus videtur Ariſtoteles 6. Metaph. textu cap. 8i. cap. ult°. ubi de entibus prædicamentalibus ait: *entia, quæ ſunt in rei veritate, aut ſunt quale, aut quantum, aut ſi quid aliud, copulat aut dividit mens.* Imò ſententia noſtra omnino videtur D. Thomæ locis à numer. 199. citatis: putoque eam debere eſſe omnium omninò Nominalium aliquouſque Prædicamentum Relationis à cæteris diſtinguentium.

## PROBATVR

### 1ª *Pars Reſolutionis.*

CCXVI. Probatur 1ª pars. Relatio Prædicamentalis non eſt fundamento & termino intrinſeca, ergò eſt extrinſeca. Probatur antecedens pro 1ª. parte, poſito ſolo fundamento non eſt in fundamento (ipſis Adverſariis fatentibus) formalis intrinſeca denominatio relativi; ac proindè nec forma intrinſeca Relationis; quia formam intrinſecam eſſe in ſubjecto, & denominationem formalem intrinſecam illius eſſe in ſubjecto, ſunt eadē, ut conſtat ex omnibus formis denominantibus: ergò

ergò ut formalis intrinſeca denominatio relativi, & forma intrinſeca Relationis, ſit in fundamento, pendet à poſitione termini extrinſeci (quod fatentur) plerumq; ſummè diſſiti. Atqui hoc intelligi non poteſt, ergò, &c. probatur minor, quia ut Reſolut. 1ª. argumentabamur contrà Thomiſtas, non eſt aſſignabilis cauſa determinans fundamentum, ut ſe jam denominet formaliter intrinſecè relativum, potius quam antè; non enim ipſe terminus, quia omninò extrinſecus & plerumque ſummè diſſitus, nec determinare potens in diſtans ſinè medio: non etiam ipſum fundamentum, ut rectè ſuprà probavimus, ergò, &c.

CCXVII. Probatur antecedens pro 2ª parte eodem argumento, loco fundamenti ubique ponendo terminum, hoc modo, poſito ſolo termino non eſt in fundamento, &c.

CCXVIII. Reſpondebit 1°. Suarez & plurimi alii Connotatores, poſito ſolo fundamento eſſe quidem totam formam Relationis ſecundùm intrinſeca, non verò ſecundùm eſſe formale denominationis relativi, defectu termini, quem eſſentialiter connotat, & à quo in eſſe denominationis eſſentialiter pendet. Sed

CCXIX. Contrà 1°. poſito ſolo termino, non eſt tota forma Relationis ſecundùm intrinſeca defectu fundamenti à quo eſſentialiter pendet, ergò neque poſito ſolo fundamento. Conſequentia probatur, quia vel per eos non dantur Relationes mutuæ; quod eſt falſum; vel ſi dentur, non eſt major ratio unius quam alterius, & conſequenter eſſe patrem, & eſſe filium, idem erunt, quod nullus dixerit.

CCXX. Contrà 2°. vel terminus eſt intrinſecè conſtitutivus Relationis ſpectatæ ſecundùm eſſe formale denominationis relativi, vel extrinſecè tantùm? ſi 1um. ergò nec eſt tota intrinſeca fundamento, ſive ſecundùm intrinſeca & eſſe formæ, ſive ſecundùm eſſe formale denominationis (quæ malè diſtinguerentur) contrà ipſoſmet; adde & ea, quæ ſtatim adferemus contrà reſponſionem 2am. ſi 2um. manet tota vis noſtræ Probationis, ut conſideranti patebit.

CCXXI. Contrà 3°. ex illa Reſponſione ſequitur 1°. intellectionem, ſenſationem, viſionem, &c. non diſtingui realiter ab anima; dicam enim poſitâ ſolâ animâ dictos actus ſemper eſſe ſecundùm intrinſeca, & tantùm non eſſe ſecundùm extrinſeca, objectum ſcilicet, & cætera, quæ requirunt ut ſint, illis præcisè ut realiter diſtinctis exceptis. 2°. eſſe viſum, conceptum, commune, Vniverſale, &c. eſſe denominationes intrinſecas reſpectu Petri & Pauli; dicam enim abſente viſione, conceptu, 1ª. intentione formali communificante, univerſaliſicante, &c. non eſſe quidem denominationem viſi, concepti, &c. ſecundùm extrinſeca, viſionem ſcilicet, conceptum, &c. benè autem ſecundùm intrinſeca, Petrum ſcilicet & Paulum, & ſic de aliis denominationibus extrinſecis, quas iſta reſponſio & ſententia tollit contra omnem rationem.

CCXXII. Reſpondebunt 2°. PP. Hurtadus, Arriaga, Oviedus, &c. non eſſe quidem ſoli fundamento, vel ſoli termino intrinſecam; ſed fundamento, termino & rationi fundandi ſimul ſumptis. Aſt

CCXXIII. Contrà 1°, poſito fundamento præcisè, aut termino præcisè, non eſt Relatio ſecundùm eſſe formale denominationis relativi, ergò fundamentum & terminus ad hanc denominationem habendam debent ſe mutuo ab invicem ſummè diſtantes determinare, ut ſuprà num. 214. argumentabamur, quod intelligi non poteſt: 2°. in Relationibus mutuis v.g. ſimilitudinis, æqualitatis, &c. in utroque extremorum eſt Relatio, ergò ſi terminus ſit pars intrinſecè conſtitutiva Relationis fundamenti, & fundamentum pars intrinſecè conſtitutiva Relationis termini; terminus ſummè diſtans à fundamento debebit eſſe intrinſecus fundamento, & fundamentum ſummè diſtans à termino debebit eſſe intrinſecum termino, quod magis intelligi non poteſt, quàm quod ſummè diſtantia, quæ ſe reſpiciunt Relatione diſtantiæ, ſint ſibi invicem ſummè præſentia, ergò, &c.

CCXXIV. Contrà 2°. argumenta contrà Connotantes num. 217. facta vim ſuam retinent, ergò, &c. aſſumptum patet, nam ex iſta reſponſione.

CCXXV. Sequitur 1°. Intellectionem, Senſationem, Viſionem, &c. non diſtingui realiter adæquatè ab anima; ſed eſſe inadæquatè poſitâ ſolâ animâ; adæquatè verò poſitâ animâ, objecto & cæteris, quæ requirunt ut ſint, ipſis præcisè ut realiter diſtinctis exceptis: 2°. eſſe viſum, conceptum, commune, univerſale, &c. eſſe denominationes inadæquatè intrinſecas reſpectu Petri & Pauli, cum ſint à forma adæquatè extrinſeca, &c.

CCXXVI. Contrà 3°. ex hac definitione Ariſtotelis, *Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe ad aliud quodammodo ſe habere.* Communis Philoſophorum ſententia (ait Oviedus hîc contr. 9. punct. 1°.) hanc deprompſit, *relativa ſunt* (puta formaliter) *quorũ totũ eſſe, eſt ad aliud,* ut ſit ſenſus, *Relatio eſt, cujus totum eſſe eſt ad aliud:* atqui nõ apparet ad quid aliud tota eſſe poſſit Relatio, ſi dicat intrinſecè fundamentum, terminum & rationem fundandi, aut ſi (ut nonnulli loquuntur) illis omnibus ſimul ſumptis identificetur. Vnde conſequenter omninò ceſſat ſolemnis illa quæſtio, an Relatio ad abſolutum, an ad relativum formaliter terminetur, ergò, &c.

## PROBATVR

### *2ª Pars, Reſolutionis.*

CCXXVII. PRobatur 2ª Pars, quia Relatio Prædicamentalis vel formaliter fundatur in *unitate*, vel in *multitudine*, vel in *actione* aut *paßione* fundamentaliter, & formaliter in conceptu agentis præcisè ut principii *quod* effectus, & actionis præcisè ut principii *quo* ejuſdem: ſi 1um. identificatur conceptui unifico: ſi 2um conceptui diſtinctivo: ſi 3um. identificatur conceptui agentis, &c. atqui hi conceptus realiter adæquatè diſtinguuntur à fundamento & termino, ergò, &c.

CCXXVIII. Probatur major, quia eodem modo ſe habent identitas, æqualitas & ſimilitudo ad conceptum ut unificum; & diverſitas, inæqualitas & diſſimilitudo poſitiva prædicamentalis ad conceptum diſtinctivum, ſive quo unum concipitur non eſſe aliud (puta in ratione Subſtantiæ, Quanti, vel Qualis ſecundum exigentiam Relationis;) & cauſalitas relativa ut v.g. Paternitas (& idem eſt proportionaliter de effectivitate v. g. filiatione) ad conceptum agentis, &c. quo ſe habent communitas ad conceptum ut communificum, & ſuperioritas ad conceptũ ut ſuperiorificũ; atqui communitas & ſuperioritas identificantur realiter & objectivè adæquatè iſtis conceptibus, & ab objectis eorum realiter

liter adæquatè, non ſecus ac ipſi, diſtinguuntur, ergò ſimiliter, &c. Sed pro clariori hujus intelligentia

CCXXIX. Nota duplicem eſſe diverſitatem, inæqualitatem, & diſſimilitudinem; unam negativam, & hæc eſt idem quod negatio identitatis æqualitatis, &c. vel potius idem quod negatio conceptus unifici, commenſurantis, &c. in quibus fundantur; & hæc eſt antè intellectum, de hacque loquebamur ſuprà, cum diximus illa eſſe ſummè diverſa, ſummè diſſimilia, &c. quæ ſunt diverſa, diſſimilia, &c. antè intellectum: aliam poſitivam, & hæc ſola (ut patet) eſt relatio Prædicamentalis diverſitatis, inæqualitatis, &c. fundata in conceptu, quo unum concipitur non eſſe aliud, puta ſecundùm rationem Subſtantiæ in genere, vel ſpecie, ſecundùm rationem quanti in genere, vel commenſurati juxtà exigentiam Relationis; nam ſpiritus v.g. & palmus dicunt Relationem Prædicamentalem diverſitatis ſecundùm rationem Subſtantiæ & Quantitatis in genere, quia ſpiritus non eſt quantus ſicut palmus: palmus verò & ſemipalmus dicunt Relationem Prædicamentalem diverſitatis ſecundùm rationem quanti commenſurati; quia palmus & ſemipalmus non ſunt ejuſdẽ commenſurationis; idẽ dic proportionaliter de diſſimilitudine inter Subſtantiam & albedinem, albedinem & nigredinẽ, & hæc Relatio eſt tantùm poſt intellectum (ut patet:) nam ſicut illa ſunt eadem Prædicamentaliter, quæ concipiuntur ut unius Prædicamenti; æqualia, quæ concipiuntur ut unius menſuræ, &c. ita illa ſunt diverſa Prædicamentaliter, quæ concipiuntur ut diſtinctorum Prædicamentorum; inæqualia, quæ concipiuntur ut diſtinctæ menſuræ; oppoſitorum enim oppoſita eſt ratio; & alioqui diverſitas, inæqualitas, &c. eſſet negativa & excluſa à Prædicamento, contrà Ariſtotelem & communem omnium.

CCXXX. Confirmatur 1°. ab authoritate, quia præterquam quòd hæc ſententia omninò videatur D. Thomæ locis Reſolutione præcedenti citatis, manifeſtè eſt Anſelmi in Monolog. cap. 24°. ubi docet Relationes, ſeu relativas denominationes non ſolùm in creatis, ſed etiam in Deo, ſinè ſcrupulo admitti poſſe & debere, idque ſinè ulla prorſus mutatione facta in Deo, ergò, &c.

CCXXXI. Confirmatur 2°. à ratione pro utraque parte, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, immutato fundamento & termino, ſunt extrinſeca, & realiter adæquatè diſtincta à fundamento & termino; atqui Relationes Prædicamentales ſunt tales, ergò, &c. Probatur minor, quia Relatio ſequitur rationem formalem fundandi, ſive conceptum, quo præciſè poſito ponitur, & quo præciſè ablato tollitur; ſed dicta ratio fundandi ſive conceptus poteſt eſſe & nõ eſſe immutato fundamẽto & termino, ergò, &c.

## RESOLUTIO III.

CCXXXII. Dico 3°. Relatio eſt formalitas realiter & objectivè adæquatè identificata rationi formali & *ut quo* fundandi, ab eaque ſolâ ratione formali diſtincta. Eſt omnium Nominalium Prædicamentum Relationis à cæteris aliquouſquè diſtinguentium

CCXXXIII. Probatur $1^{a}$. & $2^{a}$. pars Reſolutionis clarè, tum ex tota Reſolutione $2^{a}$, tum ex Refutatione diſtinctionis objectivæ ſuprà Tract. 1°. de diſtinctione Diſp. $2^{a}$. Dub. 5°.

XCXXXIV. Probatur $3^{a}$. pars 1°. ex Refutatione aliarum ſententiarum: 2°. quia eodem modo ſe habet Relatio ad rationem formalem fundandi, quo Quantitas ad materiam, & potentiæ animæ rationalis ad animam in ſententia eas realiter non diſtinguentium: ſed Quantitas à materia, & potentiæ ab anima, in illa ſententia, ſolâ ratione formali diſtinguuntur, ergò, &c. Minor patet, quia in illa ſententia Quantitas & materia non diſtinguuntur, niſi ut conceptus formalis materiæ præciſè ſecundùm exigentiam partium extenſarum localiter, & conceptus materiæ ut primi ſubjecti omnium formarum: item potentiæ & anima non diſtinguuntur, niſi ut conceptus formalis animæ præciſè ſecundùm quod potens eſt taliter vel taliter operari, & conceptus animæ ut Subſtantiæ ſpiritualis naturalis incompletæ. Conſequentia tenet à pari, nam alius conceptus formalis ſimilitudinis, utpotè formæ accidentalis referentis unam Qualitatem ad aliam, alius conceptus unifici, in quo fundatur, utpotè conceptus formalis, imaginis vitalis plures Qualitates unificantis: Item alius conceptus formalis Paternitatis, utpotè formæ referentis genitorem ad genitum; alius generationis utpotè modi tollentis indifferentiam, quam habet genitor, ut ſit generans, vel non generans: Item alius conceptus, quo entitatem genitoris ut principii *quod*, & entitatem filii ut principii *quo* præciſè concipimus, & ſic de aliis, ergò, &c.

CCXXXV. Confirmatur: vel dicendum duo alba eſſe ſimilia formaliter ſecundùm ſuas entitates Phyſicas, ut docet P. Compt. Metaph. diſp. 11. Sect. 12. vel agnoſcendũ puto ſimilitudinem realiter diſtinctam, vel defendendum ſententiam noſtram, hac & præcedenti Reſolutione allatam; atqui $1^{um}$ dici non poteſt; quia ſimilitudo formalis fundatur in unitate formali; duo autem alba dici non poſſunt formaliter unum antè intellectum, magis quam formaliter univerſalia antè intellectum, ut conſideranti patebit. $2^{um}$ autem ſufficienter rejectum eſt Reſolutione $1^{a}$, ergò, &c.

CCXXXVI. Dices fortè 1°. ex hac Reſolutione & ſuprà dictis de Relatione Tranſcendentali, ſequitur Relationem prædicamentalem & tranſcendentalem non eſſe Relationes niſi ſecundùm dici, ſed hoc eſt abſurdum, ergò, &c.

CCXXXVII. Reſpondeo, in eo nullum eſſe abſurdum, ſed id omninò dicendum, tum juxtà dicta ſuprà de Relatione Tranſcendentali; tum juxtà hîc dicta de Relatione Prædicamentali; quia reverâ omnia eſſe intrinſecè abſoluta, & penes conceptus noſtros ſolùm diſtincta, ſatis convincunt ibi dicta.

CCXXXVIII. Dices 2°. dici non poteſt quod Relatio ſit tantùm fundamentaliter à parte rei: 1° quia ad quid ponere aliam ſimilitudinem quàm fundamentalem, diſtinctam ab ea, quæ eſt fundamentaliter, à parte rei. 2° eodem pacto poſſemus dicere albedinem non eſſe niſi fundamentaliter albedinem antè intellectum; humanitatem non eſſe formaliter animam & corpus unita antè intellectum; colorem non facere formaliter coloratum antè intellectum, & infinita alia chymærica, quæ gratis fingi poſſunt, ſicut in ſententia iſta fingitur ſimilitudo diſtincta, ergò, &c.

CCXXXIX. Reſp. ad $1^{um}$ rogando cur, ſicut alibi agnoſcitur, unitatẽ Qualitatum à parte rei eſſe univerſalẽ tantùm fundamẽtaliter, non agnoſcatur illã unitatem eſſe relativam fundamentaliter tantùm antè intellectum? in illã enim evidenter retorqueo illas tuas duas probationes: 1°. quia ſicut dicis, *ad*

*quid*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quid ponere aliam ſimilitudinem, quam fundamentalem,* &c. dico, ad quid ponere aliam unitatem ſpecificam, quam fundamentalem, &c. ſi dicas, quia per illam unitatem fundamentalem non habetur unitas ſpecifica formaliter; tibi dico ſimiliter, quia per illam ſimilitudinem fundamentalem non habetur ſimilitudo formaliter, & ſic de cæteris, quæ adferre potes; quia unitas ſpecificâ, & ſimilitudo formalis ſolo nomine diſtinguuntur: nam ſicut juxtà Ariſtotelem *illa ſunt formaliter ſimilia, quorum qualitas eſt una*; ità ſecundum omnes, illa ſunt formaliter in qualitate unum unitate ſpecificâ, quorum qualitas eſt una: quod autem addi poſſet, unum & ſimile eſſe reſpectus diſparatos, videtur omninò falſum, ſi agatur de uno unitate communi, de qua hic agimus; nec minus poſſunt ſummè diſtincta eſſe unum hâc unitate, quam ſimilitudine: eſt tamen verum, ſi agatur de unitate indiviſionis in ſe, & diviſionis à quolibet alio; ſed de hac unitate, cum ſit hæc ſola uniuſcujuſque rei hæcceitas in particulari, nec ipſe, nec ullus alius ad rem agere poteſt. Ex his

CCXL. Dico: omnino debere poni ex Ariſtotele ſuprà num. 213. citato, Relationem formalem diſtinctam à fundamentali; quia Prædicamenta ſaltẽ ratione inter ſe diſtinguit; ſic enim ponitur unitas formalis univerſalis diſtincta à fundamentali, quia ſi fundamentalis eſſet formalis, ſequeretur aliqua contradictio, &c. dum verò reſpondent aliqui ſecundùm Ariſtotelem hæc decem Prædicamenta non ſemper ſignificare res diſtinctas inter ſe, quia actio & paſſio ſunt duo Prædicamenta, & tamen non diſtinguuntur, ut omnes admittunt; ſe proprio gladio jugulant; quia licèt plærique admittant actionem & paſſionem non diſtingui realiter, nulli tamen negant diſtingui ratione; ac proindè, per hoc ſaltem ſtat, quod Ariſtoteles duo illa Prædicamenta inter ſe ratione diſtinxerit, & conſequenter etiam Prædicamentum Relationis à cæteris; item quòd ſimiliter ipſi Adverſarii Relationem prædicamentalem, id eſt, formalem, à cæteris Prædicamentis ratione nobiſcum diſtinguere debeant.

CCXLI. Reſp. ad 2um attendendo ad communem loquendi modum, nullam eſſe diſtinctionem inter totum & partes, albedinem formaliter & ſimilitudinem, &c. Ratio eſt, quia communis loquendi modus, non diſtinguit inter terminos *formaliter* & *fundamentaliter*; Philoſophi verò (ſaltem non vulgares & alicujus notæ) diſtinguunt illos: undè Thomiſtæ dicunt Relationem formaliter diſtingui realiter à fundamento & termino: non autem Relationem fundamentaliter: Scotiſtæ autem dicunt totum formaliter diſtingui realiter à ſuis partibus, ſivè à toto fundamentaliter, ac proindè albedinem, ut eſt totum formaliter, diſtingui realiter à ſuis partibus integrantibus; ego verò, ut Philoſophum decet, rationem ſectatus, præclaros illos Philoſophos imitatus, & incultæ Plebi communẽ loquendi modum relinquens, diſtinxi hos terminos *formaliter* & *fundamentaliter*, non quidem realiter antè intellectum (ut ipſi in Relatione, toto, &c.) ſed realiter poſt intellectum, volens ly *formaliter* importare diſtinctionem per intellectum; quod idem, facio in Phyſica pro albedine reſpectu ſuarum partium, & humanitate reſpectu animæ & corporis unitorum; volens, hæc quidem eſſe à parte rei, non tamen totum ut totum formaliter, niſi juxtà communem loquendi modum, quem incultis lubens relinquo. Et ſic patet quid reſpondendum ſit ad infinita alia, quæ (non ſatis attentè) finguntur eſſe chymærica; ſed de diſtinctione totius à partibus aliquid ex profeſſo dicemus in Phyſica.

## DUBIUM VIII.

### *An Relatio terminetur ad abſolutum, an ad correlativum formaliter.*

CCXLII. ANtè Reſolutionem Suppono, ſenſum dubii eſſe, an Relatio terminetur ad Correlationem ſibi oppoſitam? an ad ſubjectum extrinſecum illius, ſive ad ſubjectum ab illa extrinſecè denominatum: ex quo liquet dubium tantùm procedere de Relationibus mutuis; quia non mutuæ non habent Correlationem. Hoc ſuppoſito, ſit

### RESOLUTIO I.

CCXLIII. DIco 1°. Nullæ Relationes (etiam æquiparantiæ) ſeipſis terminantur ad oppoſitam Correlationẽ: eſt contrà PP. Compl. Noſtros, Ioan. à S. Thom. Arriagã, Oviedũ & alios.

CCXLIV. Probatur, quia omnis Relatio eſt indifferens, ut terminetur ad oppoſitam correlationem, vel non terminetur, ergò, &c. probatur antecedens, quia ad illam terminari non poteſt, niſi adſit ratio fundandi, ſed 1a. Relatione poſitâ ratio fundandi Relationis ipſius ad correlationem, utpotè conceptus, eſt indifferens ut ſit vel non ſit, & abeſſe ac adeſſe poteſt, ergò, &c.

CCXLV. Nec dicas rationem fundandi Relationes ſimilitudinis inter albedinem A. & albedinẽ B. ſimul eſſe rationem fundandi Relationes ſimilitudinis harum Relationum; quia eadem ratio ob quam requirimus rationem fundandi Relationes ſimilitudinis inter albedinem A. & albedinem B. ab his realiter diſtinctam, videlicet, ſumma diſtinctio & diverſitas negativa albedinis A. & albedinis B. antè conceptum eas unificantem, hic militat. Nam hæc ſimilitudo albedinis A. & hæc ſimilitudo albedinis B. non minus ſunt ſummè diſtinctæ & diverſæ antè conceptum eas unificantem, utpotè objectivè indiviſibiliter *hoc* & *hoc*, quam hæc albedo A. & hæc albedo B. nec unificantur per conceptum has unificantem, quia hic conceptus in illas non tendit in actu ſignato; ſed in actu exercito facit duas; unam unum extremum extrinſecè afficiens, aliam alterum.

CCXLVI. Confirmatur. Ideò univerſalitas, quæ eſt aliis ratio prædicandi *ut quod*, non eſt ſibi ipſi ratio prædicandi *ut quod*: ſed debet eſſe talis per univerſalitatem realiter diſtinctam; ideo unio, quæ eſt propriis extremis ratio uniendi *ut quod*, non eſt ſibi ipſi ratio uniendi aliis *ut quod*, ſed debet illis *ut quod* uniri per unionem realiter diſtinctam; ideò actio, quæ eſt effectui ratio fiendi *ut quod* à Proprio principio, non eſt ſibi ipſi ratio fiendi *ut quod* ab aliis principiis, ſed debet ab illis *ut quod* fieri per actionem realiter diſtinctam: quia ſunt indifferentia ad hoc ut ſint talia, ut colligitur ex eo quod non ſequitur proceſſus in infinitum; ſi dicantur talia fieri per univerſalitatem, unionem, actionem, &c. realiter diſtinctam: ſubſumo, atqui ex eo quod Relationes (etiam æquiparantiæ) ſeipſis non terminentur ad oppoſitam correlationem, non ſequi-

ſequitur proceſſus in infinitum, quia pro arbitrio ſiſtitur in conceptu, ergò, &c.

### Resolutio II.

CCXLVII. DIco 2°. 1ª. Relationes, ſivè æquiparantiæ, ſivè diſquiparantiæ terminantur ad abſolutum tantùm. Ita Scotus in $1^{um}$. Diſt. 26. q. 1. & Diſt. 30. q. 1. ac ejus diſcipuli communiter, quos ſequitur P. Noſter Bacho in $1^{um}$ Diſt. 29. q. 1. art. 3. §. 3°. Item è Patribus Societatis Vaſquez, Suarez, Hurtadus, & ex Thomiſtis Soncinas, Sotus, Capreolus, &c.

CCXLVIII. Probatur, quia ad id terminantur, ad quod fundamentum, quod extrinſecè afficiunt, referunt, ergò terminantur ad abſolutum tantùm: probatur conſequentia, quia ſuum fundamentum referunt ad abſolutum tantùm; nam albedo A. v. g. non eſt ſimilis ſimilitudini albedinis B. ſed albedini B. nec pater eſt filiationis pater, ſed entitatis filii, ergò, &c.

CCXLIX. Confirmatur 1°. non eſt neceſſaria correlatio ad eſſe terminum Relationis, ut patet in termino Relationis non mutuæ, ergò Relatio non neceſſariò terminatur ad correlativum formaliter.

CCL. Confirmatur 2°. ad hominem contrà Thomiſtas: deſtruat Deus filiationem, quam dicunt modaliter ab entitate filii diſtingui (quod poteſt, quid enim obſtat?) & conſervet paternitatem, pater per paternitatem adhuc filium reſpiciet, non ut correlativum formaliter, quia, ut patet, non erit tale, ergò ut abſolutum; ac per conſequens antè ità illum reſpiciebat; quia per dictam deſtructionem non mutatur pater.

CCLI. Objicies 1°. paternitas & filiatio terminantur ad invicem; quia non minùs paternitas eſt filiationis paternitas, quàm pater filii pater, ergò Relatio terminatur ad correlativum formaliter.

CCLII. Reſpondeo 1°. negando conſequentiam, quia paternitas ut refertur ad filiationem, non eſt Relatio formaliter, de qua hîc quæritur, ad quid terminetur; ſed fundamentum relatum ad filiationem per Relationem novam, quæ filiationem non reſpicit ut correlativum, ſed ut terminum ad quem refert paternitatem illius correlativum, ac proindè non niſi ut Relationem materialiter. Vnde

CCLIII. Reſpondeo 2°. diſtinguendo antecedens paternitas & filiatio terminantur ad invicem ſub ratione fundamenti & termini, vel Relationum materialiter, concedo antecedens: ſub ratione Relationum formaliter, nego antecedens.

CCLIV. Inſtabis, Paternitas & Filiatio in Divinis, terminantur ad correlativum formaliter, ergò & in creatis.

CCLV. Reſpondeo, negando conſequentiam, nulla enim eſt conſequentia (ut ſuprà oſtenſum eſt) à Divinis ad creata, alioqui ſtatim ſequeretur in creatis paternitatem non produci, & filiationem produci; paternitatem & filiationem in creatis eidem indiviſibili Subſtantiæ identificari, & inter ſe realiter diſtingui, quod eſt trahere myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ad creaturas. Ratio igitur diſparitatis eſt; quòd Relationes Divinæ ſint ſuum ſibi ipſi fundamentum, utpotè Subſtantiales, non item creatæ: undè mirum non eſt, ſi illæ ſeipſas ad ſe invicem referant, & non ad terminum abſolutum; ex quo rectè P. Suarez, *Sicut Relationes Divinæ ſeipſis fundantur, ità ſeipſis terminantur.*

CCLVI. Objicies 2°. correlativa ſecundum Ariſtotelem hîc *ſunt ſimul naturâ*; atqui ſi Relatio non terminetur ad correlationem, non erunt ſimul naturâ, ergò, &c. Probatur minor, paternitas, ſecundum nos, terminatur ad Subſtantiam filii, & non ad filiationem; ſed Subſtantia filii eſt prior naturâ filiatione, ut patet, ergò & paternitas eſt prior naturâ filiatione, quia, dum terminatur, eſt.

CCLVII. Reſpondeo, ly *natura* ibi latè ſumi pro *intellectu*; unde conceſsâ majore, neg. minorem. Ad ejus probationem, nego etiam min. pro qua nota 1°. Subſtantiam filii eſſe in creatis, naturâ (hàc ſtrictè ſumptâ) poſteriorem Subſtantiâ patris; quia hæc eſt cauſa illius, ſive quia hæc influit eſſe in illam defectibile. 2°. Subſtantiam filii eſſe in creatis origine poſteriorem actione generativâ, quia ab illa ut principio quo, originatur, non tamen intellectu, quia actio generativa, utpotè eſſentialis productio geniti, non magis eſſe aut intelligi poteſt ſinè genito, quàm unio ſinè unibili. 3°. Subſtantiam patris in creatis eſſe naturâ & origine priorem actione generativâ; quia illa eſt cauſa hujus tamquam effectus *quo:* ex quibus ſequitur paternitatem & filiationem in creatis eſſe poſteriores intellectu Subſtantiâ patris, priores tamē origine Subſtantiâ filii, non ſecus ac eſt actio generativa, licèt non ſint illâ priores intellectu; ex quo optimè intelligitur paternitatem & filiationem eſſe ſimul intellectu, non ſecus ac eſt generatio activa & paſſiva: undè quandò paternitas terminabitur ad Subſtantiam filii, erit filiatio, licèt ad eam paternitas non terminetur, & pater formaliter intelligi non poſſit ſinè filio formaliter, nec pater formaliter ſit ſenior filio formaliter, etſi genito 30. annis poſt patrem materialiter, quo ſenſu pater eſt ſenior filio. Sumitur ex Noſtro Bachone in 1. Diſt. 6. q. 1. art. 5. §. 2°. & Quodl. 1°. q. 13. concl. 3ª.

CCLVIII. Objicies 3°. ſecundum eumdem Ariſtotelem hîc, ſi auferatur ab hero quod ſit bipes, ſcientiæ ſuſceptivus, imò homo; ſi nihilominus relinquatur herus; ſervum adhuc ad herum referendum, ergò cenſet Ariſtoteles Relationem ſervi terminari ad herum formaliter.

CCLIX. Confirmatur, vel ſervus formaliter terminatur ad herum formaliter, vel ad herum quà hominem: $2^{um}$ eſt falſum, quia alioqui ad omnem hominem terminaretur, ergò $1^{um}$ eſt verum.

CCLX. Reſp. 1°. Ariſtotelem ibi non agere de termino Relationis, ſed de correlativo, ac proindè tantùm velle, quod etiamſi auferatur ab hero, quòd ſit bipes, ſcientiæ ſuſceptivus, &c. ſi nihilominus relinquatur herus, herum adhuc fore correlativum ſervi: vel dic Ariſtotelem ibi non quærere ad quid referatur ſervus ſimpliciter, ſed ad quid referatur ad convertentiam, quomodò certum eſt referri ad herum formaliter, ſive ad correlativum, eò quòd ſint ſimul intellectu; ſi tamen velis, Ariſtotelem ibi agere de termino Relationis, & quærere ad quid herus referatur ſimpliciter, in procinctu eſt Reſponſio, quia Ariſtoteles non vult ab hero auferri omne omninò abſolutum, ſed quod ſit homo, bipes, &c. quia dicit ſi relinquatur herus in concreto, cujus materiale ſignificatum (quodcumque illud ſit) eſſe debet abſolutum; undè ad illud terminari poterit ſervus formaliter.

Ad

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ad Confirmationem

CCLXI. Reſpondeo ſervum formaliter non referri ad hominem ſimpliciter; ſed quatenus eſt hic homo habens ſervum, quod non convenit omnibus hominibus.

CCLXII. Objicies 4°. oppoſitio relativa eſt formaliter inter duas Relationes; atqui inter Relationem & terminum eſt oppoſitio Relativa, ergò terminus eſt relatio, reſpectus, &c. & non quidpiam abſolutum.

CCLXIII. Reſpondeo diſtinguendo minorem, atqui inter Relationem & terminum eſt oppoſitio relativa, latè ſumpta pro diſtinctione unius ab alio, concedo minorem; nam juxta noſtra principia Relatio diſtinguitur realiter à termino: strictè ſumpta, & prout media eſt inter Relationem & correlationem, nego minorem: hoc modo etiam diſtingui poterit minor, inter Relationem & terminum eſt oppoſitio relativa materialis, ſive ex parte materialium ſignificatorum Relationis & termini, quę ſunt abſoluta entitas fundamenti, & abſoluta entitas termini, in quantum ſcilicet fundamentum non poteſt eſſe idem cum termino, concedo minorem: formalis ſive ex parte ipſius Relationis & termini ut ipſam terminantis, nego minorem; quia, ut patet in Relatione non mutua, is non debet eſſe relativus, ſiquidem Relatio non terminatur ad terminum ut terminum in actu ſignato, quomodò eſt formaliter reſpectivus, ſed ad terminum in actu exercito, id eſt, ad id, quod ſit tantùm terminus, per hoc, quòd Relatio exercitè ad ipſum fundamentum ſuum referat.

## DUBIUM IX.

### *An multiplicatis terminis multiplicentur Relationes.*

CCLXIV. Senſus dubii eſt, an quandò unum relativum terminatur ad plures terminos ejuſdem ſpeciei, ut pater ad plures filios, ſimile ad plura ſimilia, reſpiciat ſingulos filios per diverſas paternitates, & ſingula ſimilia per diverſas ſimilitudines; an omnia per unam, quam 1°. habuit, ut communiter affirmant Thomiſtæ, & omnes, qui Relationem à fundamento realiter intrinſecè diſtinguunt, pro quo ſit

### Resolutio I.

CCLXV. Dico 1°. multiplicatis ſimul tempore terminis, non neceſſariò multiplicantur Relationes.

CCLXVI. Probatur, quia, ut fusè ſuprà probatum eſt, Relatio ſequitur & identificatur formali rationi fundandi; ſed illa poteſt eſſe una ad terminos ſimul tempore multiplicatos, ſive ad multos terminata, ergò, &c. Probatur minor, quia Relationes primi generis fundantur in conceptu unifico, vel diſtinctivo, qui poteſt eſſe multorum inter ſe unificus vel diſtinctivus ut patet; ſecundi verò fundantur in actione vel quaſi actione; paſſione, vel quaſi paſſione, quæ ſicut (ut probabitur in Phyſica) principiari poteſt à multis ſimul tempore cauſis, ita & terminari ad multos ſimul tempore effectus; formaliter verò in conceptu agentis vel quaſi agentis, patientis vel quaſi patientis præcisè ut principii *quod*, & actionis vel quaſi actionis, paſſionis vel quaſi paſſionis præcisè ut principii *quò* effectus, vel effectuum, ergò, &c.

CCLXVII. Confirmatur, una eſt Relatio filii ad patrem & matrem, quia una ratio fundandi filiationem, ergò ſimiliter una eſt Relatio patris & matris ad multos ſimul tempore filios (ſi per Deum ponerentur) quia una eſt ratio fundandi fundamentaliter *ut quod* & formaliter *ut quo* fundans paternitatem, & maternitatem; idem clarius patet in Relationibus primi generis: ſicut enim una eſt Relatio ſimilitudinis, ubi unus conceptus confundit multas albedines v.g. cum albedine A, ita è converſo una eſt, ubi conceptus confundit unam cum multis, & ſic de aliis, ergò, &c.

### Resolutio II.

CCLXVIII. Dico 2°. multiplicatis ſucceſſivè terminis, ordinariè multiplicantur Relationes.

CCLXIX. Probatur ut antè, quia Relatio ſequitur & identificatur formali rationi fundandi; ſed illa ordinariè multiplicatur multiplicatis ſucceſſivè terminis, ergò, &c. Probatur minor, quia nullus conceptus aut actio attingit terminum, quem à principio non attingit, alioqui termini eſſent concepti, quia eſſet ipſorum conceptus, & facti, quia eſſet eorum fitio ſive actio, & non eſſent, quia unus ſupponitur eſſe alio abſente, quod implicat, ergò, &c.

CCLXX. Dixi *ordinariè*, quia neceſſarium non eſt, conceptum noſtrum ferri ſucceſſivè in res exiſtentes, ſed res ſucceſſivas ſimul repræſentare poteſt, licèt ordinariè contrarium contingat ſpectatâ rei exigentiâ.

## DUBIUM X.

### *An detur unicum genus ſupremum hujus Prædicamenti.*

### Resolutio.

CCLXXI. Dico contrà Scotum & plures alios Veteres, datur unicum genus ſupremum hujus Prædicamenti.

CCLXXII. Probatur, quia datur unicum definitum in definitione Relationis, videlicet ipſa Relatio, ergò & unicum genus ſupremum hujus Prædicamenti.

CCLXXIII. Confirmari poteſt, tum authoritate Porphyrii Cap. de Specie, ubi docet eſſe unum genus ſupremum cujuſlibet Prædicamenti, aliàs non fore unicum Prædicamentum; tum quia, ſi plura forent, tria maximè forent, videlicet Relatio, fundamentum & terminus; ſed fundamentum & terminus tale eſſe non poſſunt, ergò, &c. Probatur minor, quia, cum communiſſimè ſint entia abſoluta, ad hoc Prædicamentum pertinere non poſſunt, ergò, &c.

CCLXXIV. Objicies, Relatio in genere, quæ eſt ſupremum genus, debet habere fundamentum & terminum ſibi in genere correſpondentem, ſed hoc implicat, ergò, &c.

CCLXXV. Probatur, quia, vel eſſent entia abſoluta? & hoc non, quia fundamentum & terminus in communi debent, non ſecus ac ipſa Relatio, omnibus in particulari convenire, quod non fieret, quia, ut

ut vidimus ſuprà, fundamentum & terminus materialiter interdum ſunt entia relativa: vel eſſent entia relativa? & hoc multò minùs, quia ordinariè ſunt entia abſoluta, undè omnibus in particulari convenire non poſſent: vel denique abſtraherent ab abſoluto & relativo; nec etiam hoc dici poteſt, 1°. quia fundamentum & terminus in particulari non abſtrahunt, ſed ſunt determinatè entia abſoluta, vel relativa: 2°. quia id quod abſtrahit ab abſoluto & reſpectivo, eſt ipſum ens, quod eſt ſuperius ad relationem genus generaliſſimum, ac proindè non poteſt eſſe fundamentum & terminus illius, ergò, &c.

CCLXXVI. Reſpondeo 1°. retorquendo argumentum in cauſam in genere, cognitionem in genere, &c. Cauſa in genere, quæ eſt ſupremum genus ad omnes cauſas, debet habere effectum ſibi in genere correſpondentem: Item cognitio, quæ eſt ſupremum genus ad omnes cognitiones debet habere objectum ſibi in genere correſpondens; ſed hoc implicat, ergò, &c. Major patet, quia cauſa in genere definitur *Principium influens eſſe in aliud*; cognitio verò *objecti repræſentatio.* Probatur minor, quia vel ille effectus eſſet cauſa alterius? & hoc non, quia effectus in communi debet non ſecus ac ipſa cauſa in communi, omnibus effectibus in particulari convenire, quod non fieret, quia dantur effectus, qui non ſint cauſa alterius: vel non eſſet cauſa alterius? & hoc multò minùs, quia ordinariè effectus ſunt activi & cauſa alterius: undè etiam omnibus in particulari convenire non poſſet: vel denique abſtraheret ab eſſe cauſam, vel non eſſe cauſam alterius; neque etiam hoc dici poteſt, 1°. quia effectus in particulari non abſtrahunt, ſed ſunt determinatè cauſa, vel non cauſa alterius. 2°. quia, quod abſtrahit à cauſa & non cauſa eſt ipſum ens, &c. ut ſuprà in objectione: idem argumentum fit in cognitione hoc modo: objectum cognitionis in genere eſt cognitio, vel non cognitio, vel abſtrahit ab utraque, &c.

CCLXXVII. Reſpondeo 2°. in forma negando minorem, ad ejus probationem, nego aſſumptum pro 1°. parte; haberet enim terminum abſtrahentem ab abſoluto & reſpectivo, id eſt, qui in actu ſignato ſivè in eſſe termini, non potius exigeret eſſe ens abſolutum, quàm reſpectivum, vel è contrà, ſed abſolutum & reſpectivum indifferenter eſſe poſſet, licèt in actu exercito neceſſariò abſolutum vel reſpectivum eſſet: ſic enim Propoſitio in omnium Sentētia, abſtrahere debet in ſuo conceptu formali ab affirmativa & negativa, in quantùm in actu ſignato, ſivè in eſſe Propoſitionis, non magis exigit eſſe affirmativa, quàm negativa, vel è contrà, ſed affirmativa vel negativa indifferenter eſſe poteſt, licèt in actu exercito ſit affirmativa vel negativa, ſaltem quoad nos. Idem proportionaliter dicendum de effectu ſuprà, de objecto cognitionis, &c.

# DISPVTATIO QVARTA.

## *De Qualitate.*

### DVBIVM I.

*Quid ſit Qualitas Prædicamentalis, ſive quænam ſit ejus vera definitio.*

CCLXXVIII. QValitatem hîc definit Ariſtoteles, *quâ quales quidam dicuntur*, ut albedo, ſcientia, virtus, &c. dici autem qualis, eſt denominari à concreto per quod reſponſio detur, ad quæſtionem factam qualis res eſt: circà hanc definitionem, vel potius deſcriptionem, ut benè notant Cajetanus, Sotus, Robel, Murcia, &c. ſenſum noſtrum in diſputatione aperiemus; hîc tantummodo adverte, aliquid tribus modis poſſe denominari quale: 1°. latiſſimè à quocumque concreto $4^{i}$. aut $5^{i}$. prædicabilis, quod poteſt eſſe ſubſtantiale, ut aurum reſpectu calicis: 2°. ſtrictius à concreto accidentali non ſubſtantiali, quod poteſt eſſe quantum, relativum, &c. 3°. ſtrictiſſimè à concreto, cujus forma eſt Qualitas hujus Prædicamenti, ſed quid Qualitas hujus Prædicamenti, difficulter dicitur, ut patebit infrà, ubi etiam de ſpeciebus Qualitatis agemus. Quarè ſit

### RESOLUTIO I.

CCLXXIX. DIco 1°. definitio, quam ſuprà ex Ariſtotele recenſuimus, præterquam quòd obſcura ſit (ut conſtat ex advertētia ibi facta) & cōtortâ explicatione indigeat, ſēper manet, quòd ſit illegitima, quia non eſt notior definito, ſiquidē æquè nobis ignotum eſt, quid ſit *eſſe quale*, per quod Qualitas definitur, quàm quid ſit *eſſe qualitas*, quæ per illam definitionem definitur: eodem modo hanc rejicies, *qualitas eſt accidens merè qualificativum ſubſtantiæ.* Cur enim linea, non æquè eſt accidens merè qualificativum ſubſtantiæ, ac albedo, & ſic de aliis?

### RESOLUTIO II.

CCLXXX. DIco 2°. definitio, quam varii Thomiſtæ adferunt, videlicet, *Qualitas eſt accidens abſolutum perficiens ſubſtantiam ſecundùm formam*, in multis peccat: 1°. in eo, quòd omnes Qualitates in ſe non comprehendat, ut Qualitates afficientes Angelos, actus v. g. intellectus, voluntatis ipſorum, &c. quia in Angelis non eſt forma: item nec raritatem & denſitatem, quæ magis ſequuntur materiam, utpotè tantam vel tantam illius extenſionem, vel potius ipſam protendentes, quàm formam: 2°. in eo, quòd comprehendat ſub ſe ea, quæ non ſunt Qualitates, ut v. g. *ubi* (maximè cum in Phyſica probemus, illud eſſe rem) actionem, &c. vel enim per ly *abſolutum* in definitione poſitum excluditur omne relativum formaliter, tam tranſcēdentaliter quàm prædicamentaliter, vel ſolum relativum Prædicamentaliter: ſi $2^{um}$, clarum eſt comprehendere *ubi, actiones*, &c. quia hæc non ſunt relativa Prædicamentaliter: ſi $1^{um}$, nulla dabitur (quod nullus dixerit) Qualitas, nam illa debet eſſe accidens; omne verò accidens præter Relationem Prædicamentalem, utpotè ex ſuo conceptu formali entis ens, eſt Relativum tranſcendentaliter: eodem modo rejicies definitionē. PP. Hurtadi & Arriagæ *Qualitas eſt accidens abſolutum à quantitate diſtinctum.*

RESO-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN